



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Tract. VII. De Sacramento ordinis,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

TRACTATUS SEPTIMUS.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

Ad quaestionem 34 supplementi, & alias sex sequentes.

P R A E F A T I O.



Non poterat inter Ecclesiae Sacramenta, in Ornamentum & Religionis decus, deesse Ordo; cum rerum omnium necdum quae sensibus, oculisque percipi possunt, sed earum quae sensus omnes, atque oculorum aciem superant, venustatem omnem & pulchritudinem Ordo efficiat. Quis unquam Triumphantis & Coelestis Ecclesiae Ordinem cogitatione comprehendat? Ubi triplex beatorum mentium hierarchia, ordinibus & choris novem constat, atque in eo penè supra omnem numerum Angelorum numero is ordo perfectissimus est, quem à natura per se intentum, ob summam ejus perfectionem, D. Thomas dixit, ut Angelorum quilibet alium gradum & perfectionem superet, vel ipsi inferior sit. Militantem Ecclesiam ordinatam esse aciem Scripturae dixit, & egregie cum acie ordinem composuit, cum Aristoteles ipse adverteret in politicis, quod sine Ordine inutilis erit acies: sed plura congestit Gregorius Nazianzenus quam à me commemorari potuissent. Ordo (inquit) omnia constituit & colligit; Ordo Coelestis & terrena continet; Ordo in his quae ratione & animo intelliguntur locum habet; Ordo in antiquis partibus & temporibus, aptè & distinctè tum progredientibus, tum recedentibus; Ordo in diei & noctis mensuris atque intervallis; Ordo in Elementis ex quibus corpora constant; Ordo Coelum in Orbem duxit, aerem exporrexit, terram supposuit. Ex Ordine florente ac dominante hoc universum Kosmos sive Mundus, & ornatus, & invicta quaedam stabilitque pulchritudo. Haec tenus Nazianzenus: quibus sane vix quidquam addi posset, praeter ea quae prosequitur, & brevitate gratia libens omisi. Cum itaque rerum omnium pulchritudinem & venustatem Ordo efficiat, non poterat inter sacramenta Ecclesiae deesse Ordo, cui hoc singulare & eximium est, ut pluribus veluti partibus, officiis, ministeriis, ministeriis distinctus sit, quorum alia propius ad sacramentum accedunt, indeoque maxime sacra; alia longius ab ea recedunt, quibus subinde ministeria minus sacra incumbunt. Et sane Ordinum omnium ministeria ad sacramentum, & religionis unicuique sacrificium, ut ad finem referuntur, atque inde facit autum, ministerium, officiorumque distinctio, ut sacrificii dignitas, preparatio, & consecratio postulabatur. Inde Ministrorum longa series, quorum alii templum lustrant, purgantque; fori occludunt, aut referant; indignosque prohibent, aut sacrorum mysteriorum futuros participes admittunt. Alii populum instruunt, & lectione docent; alii cereos accendunt, alii mensam instruunt, panem ac vinum sacrificii materiem parant; alii Sacerdotem, ad quem unum sacrificium conficiendi & offerendi facultas pertinet, committantur, & iurant, ipsi proxime adherent, & obsequuntur. Sed denum ipse Sacerdos in altari & sacramenta, Ministrorum omnium coronatus cinctus, inter terras

PRAEFATIO

Caelumque medius & sequester, incurrentum ac divinum sacrificium offert, quo Deum populis propitium efficiat. Sed quis huius Sacerdotii, omnium Ordinum veluti sacri apicis & culminis dignitatem oratione unquam & satis amplis laudibus profectur? No vimus sanè Sacerdotium olim, etiam apud barbaras Gentes, in summo semper honore habitum fuisse. Sapius idem & Reges & Sacerdotes, coronam, sceptrumque gerebant, cum scilicet ita populis persuasum esset, non alteri supremam potestatem demandandam esse, quam cui major sanctitas, ex Religionis usu & Sacerdotio inesse videbatur. Etiam apud quosdam solitum erat, ut iisdem vestibus Sacerdotem induerent, quibus sua Numina representabant, ut Diis quàm simillimi, omnium sibi amorem & reverentiam conciliarent. Sed nullum unquam augustius existimatum est, quam Hebraeorum & legis veteris Sacerdotium, cuius ministeria, jus, ac vestes, quibus mundum ipsum universum, caelum, terras, maria, aeraque referebat, ut Sapiens dixit, Deus singulari beneficio instituerat. Eximia sunt quæ Philo, suæ Gentis Judaicæ religionis, regiminis, & mysteriorum omnium peritissimus, in Sacerdotii commendationem scripsit. Ipsas urbes quæ Sacerdotibus concessæ fuerant, penè templo pares facit, & egrègiè secundaria Azyla vocat, propter incolarum honorem & privilegium, qui supplicibus contravim futuri erant præsidio, non armorum ope, sed dignitatis respectu, & iustâ reverentiâ Sacerdotalis Ordinis. Quin etiam notat, præter primitias, Sacerdotibus decimas, tanquam Regibus tributa dari, quia (inquit) iuxta legis iudicium Sacerdotes æquiparantur honore ac maiestate Regibus, illis, tanquam Principibus, conferri tributa imperat. Eximia hæc equidem, ut & plurima quæ idem Author refert. Sed quantum hæc absunt à dignitate, maiestate, potestate Sacerdotii novæ legis? quantum scilicet à veritate umbræ recedunt. Verisimè D. Ignatius Martyr, Sacerdotium, omnium bonorum quæ in hominibus, sunt apicem, dixit, cuius injuria, si quis ipsum laderet, aut minorem quàm par est reverentiam exhiberet, in Christum inquit, qui solus naturæ est summus Sacerdos, redundaret. Sed si quis Sacerdotium Christiana Religionis promeritis aestimare velit, is sanè necessest, sacrificii quod Sacerdos offert altari præstantiam animadvertat. Sed quideo sacrificio, præter Christ. Dom. Deum ipsum continetur, in quem Sacerdos ius habet, quem offert, quem consecrat, & sacro ore conficit ac demum populo edendum distribuit. O eximia, & nullis unquam laudibus Sacerdotii dignitas explicanda! Mirabatur olim & graviter lacescebat Tertullianus insaniam Gentilium, qui senatûs decreto divinitatem numinibus conferebant. Singularis sanè & eximia hominum in Deos potestas: Ita (inquit) nisi homini placuerit, Deus non erit, & humano arbitrio divinitas pensatur. Sed ô singularis jam & verissima in Deum Sacerdotis potestas! Penes Sacerdotem est, ut in altari sub speciebus Eucharisticis, Deum ipsum in sacrificii materiam & victimam constituat, nec injuriam ullam summo Numini inferat, nec aliùs quàm par est Sacerdotis dignitatem evehat, qui dixerit, Nisi homini placuerit, in altari & loco Victimæ, Deus non erit, & humano arbitrio divinitas pensatur. Nihil sanè eâ potestate & dignitate in commendationem Sacerdotii majus excogitari unquâ potest, nihil habeo quod addam præstantius. Sed ne cetera præteream, quæ licet infra eam dignitatem sint, longè tamen Sacerdotii seu Gentilium seu Hebraeorum excellentiam omnem superant, opera pretium duxi hic subungere quæ summa eloquentiâ, & fusè Chrysostomus, in laudem Sacerdotii scripsit, quæ paululum tamen resectis pluribus contraxi. Sacerdotium (inquit) principatus est, ipso etiam regno venerabilius ac majus. Ne mihi nares purpuram, neque diadema, neque vestes aureas: si vis videre discrimen, expende modum potestatis ulique traditæ, videbis Sacerdotem multò subli-

mius

mius Rege sedentem. Quanquam enim nobis admirandus videatur regius thronus, ob gemmas; tamen rerum terrenarum administrationem sortitus est: verum Sacerdoti thronus in caelis collocatus est, & de coelestibus rebus pronuntiandi habet auctoritatem. Quis hæc dicit? ipse coelorum Rex: *Quaecumque soleritis super terram, erunt soluta & in caelis.* Quid cum hoc honore conferri possit? A terra iudicandi principalem auctoritatem habet cælum, nam iudex sedet in manibus subijcit, nos erudiens quod hic Princeps est illo major; siquidem id quod minus est, accipit ab eo benedictionem quod est præstantius. Hæc præclare Chrysostomus: *quibus tum sacerdotis præcipua munera, tum sacerdotalis Ordinis præstantia explicantur. Hæc habuit (AMICE LECTOR) quæ in Ordinis & Sacerdotii commendationem, loco præfationis præmitterem.*

DISPUTATIO PRIMA.

De Ordine in communi.

QUod rectus doctrinæ ordo postulet, aut ab universalioribus ad particularia descendatur, priusquam de singulis Ordinibus in particulari disseramus, aliquid de sacramento Ordinis in communi præmittendum esse censuimus. Unde fit

ARTICULUS UNICUS.

An ordo seu ordinatio qua Ministri Ecclesiae initiantur, sit verè & propriè Sacramentum?

Negant plerique Novatorum, contendentes, sacramentum Ordinis esse merum figmentum, nullamque aliam dari ordinationem in Ecclesia, præter ritum eligendi concionatorem. Ex quo interunt, eum qui non concionatur non esse verum Sacerdotem, sed esse instar hominis picti respectu vivi. Ut hic error refellatur, & veritas Catholica, in Concilio Florentino, Decreto Eugenii, & Tridentino sess. 23. can. 3. sancita ac definita, defendatur & stabilatur, sit.

§. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

Dico igitur, Ordinationem quæ Ministri Ecclesiae initiantur, esse verè & propriè sacramentum.

Probatur primò: Ad rationem sacramenti tria tantum requiruntur, nempe quod sit ceremonia sensibilis, permanentiter instituta, habeatque infallibilem promissionem gratiæ, seu quod in ejus usu & exercitio gratia infallibiliter conferatur. Sed ordinatio quæ Ministri Ecclesiae initiantur, habet hæc tria: Ergo est verè & propriè sacramentum. Major patet, Minorem etiam quantum ad primam & secundam partem manifesta videtur. In primis enim quod hæc ordinatio sit aliquod ti-

gnum sensibile, patet experientia. Ordo enim semper in Ecclesia fuit collatus per signum aliquod sensibile & externum, puta per impositionem manuum. Unde Actuum 14. pro eo quod de Paulo & Barnaba legitur in vulgata versione: *Cum constituisset illis per singulas Ecclesias Presbyteros*, in textu Græco habetur, *καταθεὶς ἁνδράς* & apud Græcos Ministrorum ordinatio vocatur *καταβολή* vel *καταβολή* id est *num extensio*, vel *manuum impositio*. Nec obstat quod in contrarium objicitur, nempe Apostolos fuisse à Christo ordinatos sine ritu externo: Tum quia potentia Christi non sacramentis alligata, atque adeo poterat Apostoli suos sine sacramento ordinare: Tum etiam, qui non sine verbis dedit eis potestatem consecrandi in cena ultima, Luca 22. *Hoc facite in meam commemorationem*; & saltem pro signo externo habuit porrectionem panis & calicis consecrationem. Deinde quod ritus ille initiandi Ecclesie Ministros, constanter & permanentiter constitutus sit, patet ex ulu constanti Apostolorum, & continua praxi Ecclesiae.

Solum ergo demonstrandum est, infallibilem gratiæ promissionem & collationem huic ceremoniæ & ritui non deesse, quod probò duplici Apostoli testimonio; ait enim 1. ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi cum prophetia, cum impositione manuum presbyterij.* Ubi per Presbyterium intelligit vel cæterum Presbyterorum, qui cum Episcopo imponunt manus supra caput illius qui ordinatur in Presbyterium: vel potius cæterum Episcoporum à quibus Timotheus fuerat ordinatus Episcopus, per manus impositionem. Item: ad Timoth. 1. ait idem Apostolus: *Admonito te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum.* En Symbolum sensationem manuum impositio, per quam Presbyterium conferebatur, & simul gratia quæ per illud dabatur. Quod testimonium adeo videtur manifestum, ut eo convictus Calvinus, tandem confessus fuerit fateri, Presbyteratum esse verum sacramentum.

mentum. Nam lib. Instit. cap. 19. num. 28. hæc A
scribit : *Quantum ad verum Presbyterii munus at-*
tinet ; quod ore Christi nobis est commendatum ;
libentes eo loco habeo. Illis enim ceremonia est ;
primùm ex Scriptura sumpta , deinde quam non
esse inanem , nec supervacuum , sed fidele spiri-
tualis gratie symbolum ; testatur Paulus. Et numero
13. subdit , id quod dixit duo tantum esse sacra-
menta ; Baptismum & Eucharistiam , intelligendū
esse de sacramentis , quæ fidelibus omnibus sunt
communis. Unde Calvinista Galli , qui art. 35.
Confessionis suæ , negant Ordinationem esse ve-
rum sacramentum , non solum ab Ecclesia , sed ab
ipso etiam Calvino , Duce suo & Antesignano ,
apertè dissentiant.

Nec valet quod ad tam evidentia Scripturæ te-
stimonium respondent , nimirum impositionem illā
manuum fuisse aliquam ceremoniam , quā Apo-
stoli utebantur , cum Deo aliquem commenda-
bant , & orabant pro illo. Hoc enim fallum esse
pater ex cautela quā in alia manu impositione
adhibebant Apostoli , non enim cuius se se
offerenti manus imponebant , sed post diligens
examen , & probatam vitam , ne scilicet incapax
vel indignum ordinarent. Unde Paulus Timo-
theo Episcopo Epist. 1. c. 5. *Manus cito nemini*
imponas , neque communicaveris peccatis alienis :
Quamvis autem quis pro peccatore oraret , non
propterea ejus peccatis communicaret ; nec tanta
fuisse adhibenda cautela , ad orandum pro illo , ut
pater. Ergo &c.

Frivola etiam est alia responsio , quā tam apra
Scripturæ testimonia conantur eludere , dicendo
iis nomine gratiæ , non gratiam gratum facien-
tem , sed gratis datam intelligi. Nam Apostolus
post verba ex secunda Epistola ad Timotheum ad-
ducta , subdit : *Non enim dedit nobis Deus spiri-*
tum timoris , sed virtutis & dilectionis : Sed spiritus
dilectionis est charitas quæ non est sine gratia san-
ctificante. Ergo de gratia gratum faciente , non
verò de gratia gratis data loquitur Apostolus.
Unde Theodoretus ibi ait talem gratiam esse il-
lam , quā pericula pro pietate non timemus , & Deum
cum fervore amamus ; & Chrysostomus homil. 1.
Hoc est (inquit) gratiam spiritus , quam accipi-
mus ad Ecclesiæ institutionem & ad omne religionis
obsequium ; quippe hanc vel extinguere , vel excitare
in nobis est , quod ad gratiam sanctificantem præ-
cipue pertinet , quare inferius , gratiam charitatis
appellat.

Nec obstat quod in primo testimonio meatio-
nem faciat de prophetia , quæ est gratia gratis da-
ta. Per prophetiam enim intelligit Apostolus , vel
revelationem sibi factam de ordinando Timotheo
in Episcopum ; vel potius divinam & superna-
ralem operationem , quā in ordinatione fuit san-
ctificatus : simili modo loquendi quo Scriptura
miraculosam operationem vocat prophetiam Ec-
cli. 48. ubi mortuum corpus Elisei dicitur prophe-
tasse , id est suscitasse hominem mortuum , prout
refertur 4. Regum 13. Vel prophetiæ nomine signi-
ficatæ voluit formam Sacramenti , seu mysticum
sermonem , qui cum impositione manuum adhi-
betur. Solet enim Paulus omnem divinitus tradi-
tum sermonem , aut divinatorum mysteriorum ex-
plicationem , appellare prophetiam , ut patet ex 1.
Cor. 14. v. 3. 24. & 29.

Probat secundò conclusio ex 3. Patribus ,
qui ordinationem Sacramentum esse passim asse-
runt : Augustinus enim lib. 2. contra Parmenia-
num cap. 13. sic ait : *Nulla ostenditur causa cur qui*
Tom. V.

Baptismum amittere non potest , jus dandi amitte-
re possit : utrumque enim Sacramentum est , & qua-
dam consecratione utrumque homini datur : illud
cum baptizatur , istud cum ordinatur. Et paulò
post , Sacramentum ordinationis appellat , vel in
plurali Sacramenta. Et inferius : *Ipsi explerent*
(inquit) quomodo Sacramentum baptizati non
posset amitti. & Sacramentum ordinati posset amitti
si enim utrumque Sacramentum est (quod nemo
dubitatur) cur illud non amittitur , & illud amitti-
tur ? Item libro 1. de Baptismo contra Donatistas
capite 1. Sacramentum Baptismi est quod habet qui
baptizatur ; & Sacramentum dandi Baptismi est
quod habet qui ordinatur. Et lib. de bono conju-
gali cap. 24. ordinationem Sacramentum ordina-
tionis , & Sacramentum Domini vocat. Et S. Leo
Epist. 81. quam Dioscoro scribit cap. 1. de ordi-
natione loquens. Intelligamus (inquit) quantā de-
votione curandum sit , ne tanta benedictionis Sa-
cramentum negligenter videatur impletum. Et Epi-
pist. 87. ad Episcopos Africanos cap. 1. contra
illegitimè ordinatorum sic invehitur : Quis audeat
dissimulare quod in tanti Sacramenti perpetratur
injuriam ?

Demum Gregorius Magnus libro 4. in libros
Regum cap. 4. explicans illud ex libro primo Re-
gum : *Tulit Samuel lenticulam olei ; hæc habet :*
In hac unctione exprimitur quod in sancta Ecclesia
nunc etiam materialiter exhibetur ; quia qui in cul-
mine ponitur , Sacramenta suscipit unctionis : Quia
verò ipsa unctio Sacramentum est , is qui promove-
tur , bene foris ungitur , sicut virtute Sacramenti
roboretur.

Nec dici potest , SS. Patres de Sacramento im-
proprie dicto locis istis locutos esse , cum affir-
ment ordinationem non minùs esse Sacramen-
tum , quā Baptismum ; & utrique æqualiter tri-
buant quod non possit iterari , neque amitti ,
quodque sanctificet suscipientem , quod veri Sa-
cramenti proprium est.

Potest insuper conclusio duplici congruentiā
suaderi. Prima insinuat a Florentino in decreto
Eugenii : Cum enim per ordinationem homines
fiant sacrorum mysteriorum executores & mini-
stri , conveniens fuit ut in ea acciperent gratiam
per quam fierent idonei ad tantum munus exer-
cendum ; Deus enim quando ad aliquod munus
creaturam destinat , non solā extrinsecā ordina-
tione , sed intrinsecā virtute efficit illam ad tale mu-
nus exercendum aptam : us constat in ordine na-
turali , in quo Deus per intrinsecas virtutes & in-
elinationes , rerum naturas adaptat ad fines ad
quos destinat consequendos.

Confirmatur : In Baptismo in quo datur po-
testas suscipiendi Eucharistiam & alia sacramen-
ta , datur simul gratia ad illa ritè recipienda , &
ad vivendum ut Christianum decet : Ergo cum
datur in ordinatione potestas ad conferenda sa-
cramenta , debet pariter in ea dari gratia ad ea
ritè administranda , & ad vivendum ut decet Dei
ministrum , & dispensatorem mysteriorum ejus.
Unde Christus Ioan. 20. dans Apostolis potesta-
tem remittendi peccata in Sacramento peniten-
tiæ , simul insudit Spiritum Sanctum , & ad hoc
munus eos sanctificavit dicens : *Accipite Spi-*
ritum Sanctum , quorum remiseritis peccata , remittun-
tur eis.

Secunda est : Ordinatio Sacerdotum veteris le-
gis fuit verum Sacramentum : Ergo & ordinatio
Sacerdotum legis novæ. Consequentia patet ,
aliàs enim ordinatio Sacerdotum legis antiquæ
fuisse

fuisse perfectior ordinatione Sacerdotum nostrorum, quod tamen non minus implicat, quam umbram sive figuram esse quid perfectius re figurat, & corpore. Antecedens verò probatur: Ordinatione Sacerdotum legis veteris erat ceremonia externa divinitus & permanentiter instituta, nec non sanctificans legaliter, ut constat ex Scriptura veteris testamenti: Sed nihil amplius requirebatur ad verum Sacramentum legis scriptæ: Ergo Sacerdotium veteris legis fuit verum Sacramentum.

10. Confirmatur: Sanctitas legalis veteris legis, significabat veram sanctitatem dandam in nova lege, ut docet Apostolus ad Hebræos 10. Ergo sicut ordinatio veteris legis consistebat in ceremonia permanenti, quæ legaliter sanctificabat, ita, ut veritas figuræ respondeat, ordinatio novæ legis consistit in ritu permanenti, veram sanctitatem operante, & consequenter habebit veram & propriam rationem Sacramenti novæ legis.

§. II.

Solvuntur objectiones hæreticorum.

11. Contra istam conclusionem & veritatem catholicam obijciunt primò Sectarii: Sacramentum verè & propriè sumptum, ex verbo & elemento aliquo constare debet, juxta illud Augustini Tract. 80. in Ioan. *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.* Sed in ordinatione Ecclesiastica nullum applicatur elementum: Ergo illa non est verè & propriè Sacramentum.

12. Verum huic argumento jam alibi respondimus, quod si sermo sit de elemento strictè sumptum, falsa est Major universaliter sumpta: panis enim & vinum, quæ sunt materia Sacramenti Eucharistiæ, non sunt elementa propriè dicta: si autem elementum accipitur pro quolibet sensibili, dico illud in Ordine, æquè ac in aliis sacramentis, reperiri, ut potè cum ordinatio fiat vel per manuum impositionem, vel per traditionem alicujus rei sensibilis.

13. Obijciunt secundò, neque ex Scriptura, neque ex Patribus ostendi posse, Ordinem esse sacramentum. Sed hoc quàm sit à veritate alienum, patet ex dictis in prima & secunda probatione conclusionis, ubi plura Scripturæ & SS. Patrum testimonia in hujus veritatis confirmationem adduximus. His addi potest Dionysius, qui cap. 5. de Ecclesiastica Hierarchia, tam clare docet Ordinationem esse sacramentum, ut Lutherus in libro de captivitate Babylonica, cap. de Ordine, id negare nequiverit. Anacletus etiam, quintus à Petro summus Pontifex, Epist. 2. de unione Episcoporum sic loquitur: *Omnia sanctificatio constat in Spiritu Sancto, cujus virtus invisibilis sacro Chrismate est permixta &c.* Quibus verbis significat, Episcopos sanctificari per unctionem Christinam quâ consecrantur, indeque talem consecrationem esse verè & propriè sacramentum. Item Innocentius I. Augustini contemporaneus Epist. 2. cap. 3. cum dixisset Cæricos hæreticos ad Pœnitentiam receptos non debere ad pristinas dignitates restitui, hujus reddens rationem: *Quoniam (inquit) scienter ab illis recipientes Baptisma, non recipiunt Spiritum Sanctum, quia ipsi perfectionem spiritus quam receperant, amiserrunt; nec dari eis plenitudinem possunt, quam maxime in ordinationibus operatur.* Quibus verbis apertè declarat, in ordinationibus plenitudinem

A Spiritus sancti, atque adeò gratiam sanctificationis, communicari; quod haud dubiè ad sacramenti effectum pertinet. Ex quibus liquet, quàm falso loco citato affimet Lutherus, solum Dionysium citari posse ex antiquis scriptoribus, prolatamento Ordinis.

Obijciunt tertio. Omne sacramentum ordinatur per se ad sanctificationem suscipientium: At qui ordinatio per se ad sanctificationem suscipientium non ordinatur, sed potius ad sanctificationem aliorum: Ergo non est sacramentum.

Respondeo distinguendo Majorem: Omne sacramentum ordinatur per se ad sanctificationem suscipientium, vel per se primò, vel per se secundò concedo Majorem. Per se primò solum, nego Majorem. Similiter distinguo Minorem: Ordinatio non ordinatur ad sanctificationem suscipientium, per se primò, concedo. Per se secundò, nego. Ordinatur enim per se secundò ad dignam administrationem sacramentorum: digna autem administratio sacramentorum esse non potest, obque gratia sanctificante ipsam ministrum. Unde Ambrosius de dignitate Sacerdotali loquens, ait: *Homo imponit manum, Deus largitur gratiam.* Et Florentinum in Decreto Eugenii, cum de Ordine loquitur: *Effectus (inquit) est augmentum gratiæ, ut quis sit idoneus minister.*

C Ex dictis colligitur primò, quod sicut in aliis sacramentis tria distingui solent, nempe id quod est sacramentum tantum, id quod est res tantum, & id quod est res & sacramentum simul; ita & in isto hæc tria reperiuntur. Sacramentum tantum est res externa & sensibilis ceremonia, quæ in ordinatione adhibetur. Res tantum est gratia sanctificans, quæ per illam confertur. Res & sacramentum simul, est character, qui per rem exteriorem, & sensibilem significatur, & simul gratiam sanctificantem significat, ut in Tractatu de Sacramentis in communi declaravimus.

Colligitur secundò, Sacramentum Ordinis posse defini, seu describi: Ordo seu Ordinatio est sacra ceremonia, quâ traditur potestas spiritalis alicuius ministerii exercendi, simulque gratia sanctificans ad illius exercitiū & convenienter observandam. Cujus definitionis particule satis perspicue manent ex dictis, vel cum Magistro sententiarum hoc potest brevius defini: *Ordo est signaculum quoddam quo spiritalis potestas traditur ordinato.* Quam definitionem refert & approbat S. Thomas hic quæst. 34. art. 2.

DISPUTATIO II.

De singulis Ordinibus in particulari.

D Inputatione præcedenti egimus de Ordine in communi, & ordinationem aliquèdè verè & propriè sacramentum, ostendimus nunc de singulis Ordinibus in particulari differendum est, ac declarandum, an septem illi Ordines qui communiter recensentur, sint sacramenta immediate à Christo instituta; & quænam sit singulorum Ordinum materia & forma.

ARTICULUS I.

An septem Ordines Ecclesiastici sint verè & propriè Sacramenta?

§. I.

Quibusdam premisiss referuntur sententia.

Suppono primò, Ordinem Ecclesiasticum esse duplicem, alterum dignitatis seu iurisdictionis, ut Archidiaconatus, Episcopatus, Patriarchatus, Primatus, Papatus; alterum potestatis sacrificio altaris ministrandi. Hic non agimus de priori Ordine, qui ad hierarchiam spectat, sed de posteriori, quo certi in Ecclesia initiuntur ministri, quid Christo potestatem accipiunt; Sacramenta fidelibus ministrandi. Etenim ut dicitur S. Thomas hic quæst. 34. art. 1. *Deus sua opera in sui similitudinem perducere soluit, quantum possibile fuit, ut perfectiora essent, & per ea cognosci posset. Et ideo ut in suis operibus representaretur non solum secundum quod in se est, sed etiam secundum quod aliis insinuat, hanc legem naturalem imposuit omnibus, ut ultima per media reducerentur & persicerentur, & media per prima, ut Dionysius dicit. Et ideo in ista pulchritudo Ecclesie non desisset, posuit ordinem in ea, ut quidam aliis Sacramenta traderent, suo modo in hoc Deo assimilati, quasi Deo cooperantes, sicut & in corpore naturali quedam membra aliis insinuant. Hinc in Concilio Tridentino sess. 23. cap. 2. consentaneum fuisse astruitur, ut in Ecclesia ordinatissima dispositio, plures & diversi essent Ordines, qui Sacerdotio deferrentur. Et cap. 4. dicitur, quod si quis omnes Christianos promiscue novi Testamenti Sacerdotes esse, aut omnes pari potestate spirituali prædicos affirmet, nihil aliud facere videtur, quam Ecclesiasticam Hierarchiam, quæ est ut castrorum acies ordinata, confundere.*

Suppono secundò cum eodem Doctore Angelico hic quæst. 37. art. 1. quod Ordinum multitudo est inducta in Ecclesia propter tria. Primò quidem propter Dei sapientiam, commendandam, quæ in distinctione rerum ordinata maxime relucet, tam in naturalibus, quam in spiritualibus: Quod significatur in hoc quod Regina Saba videns ordinem ministrantium Salomoni, non habebat ultra spiritum, deficiens in admiratione sapientie illius. Secundò, ad subveniendum humane infirmitati, quia per unum non poterant omnia quæ ad divina mysteria pertinebant, expleri, sine magno gravamine; & ideo distinguuntur Ordines diversi ad diversa officia. Tertiò, ut via proficiendi hominibus amplior daretur, dum plures in diversis officiis distribuuntur, ut omnes sint Dei cooperatores, quo nihil est divinius, ut de Ecc. Dionysius dicit.

Suppono tertio, septem dari Ordines Ecclesiasticos, videlicet Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, Acolytorum, Exorcistarum, Lectorum, & Ostiariorum. Primò, quia hoc declaravit Tridentinum sess. 23. cap. 2. Secundò, quia antiqui Patres horum omnium expressam faciunt mentionem. Nam Ignatius Martyr Apostolorum Discipulus, in Epistola ad Antiochenos, in Bibliotheca Patrum ordine duo decima, ita concludit: *Saluto sanctum Presbyterorum collegium: Saluto sacros Diaconos: Saluto Hypodiaconos, Lectores, Cantores, Janitores, laborantes, (qui curam habebant mortuos sepeliendi) Exor-*

Tom. V.

A cistat. Item Cornelius Papa in Epistola ad Fabium Antiochenum, hæc scribit: *In hac Ecclesia Catholica non ignorabat Presbyteros esse quadraginta sex, Diaconos septem, Subdiaconos septem, Acolytos quadraginta duos, Exorcistas, & Lectores unâ cum Ostiariis quinquaginta duos.* Similiter in Concilio Carthaginensi quarto, horum omnium Ordinum materiæ, & formæ, ac officia designantur. Demum Clemens Romanus lib. 8. constitutionum cap. 26. meminit Lectoratus & Exorcistatus. Cur autem non aliorum duorum, rationem assignat S. Thomas hic quæst. 37. art. 2. ad 2. quia nimirum in primitiva Ecclesia, propter penuriam personarum, horum inferiorum Ordinum ministeria mittebantur Diaconis, in quibus omnium inferiorum Ordinum potestates continentur. Ampliatà verò postea Ecclesia, ampliatum est cum ipsa cultus divinus, ac proinde quæ implicite gerebantur ab uno ordinato, explicite exercentur à multis. Tertiò, quia ut in corpore ejusdem articuli egregie discuitur S. Thomas, tot debent esse Ordines in Ecclesia, quot sunt specialia ministeria exercenda circa illud quod omnium est augmentum in ea, nimirum Sacramentum Eucharistiæ. Illa autem sunt septem, videlicet ministerium ad Eucharistiam consecrandam, & hoc est Sacerdotum; ministerium ad Eucharistiam dispensandam, ejusque materiam Sacerdoti proximè tradendam, & hoc est Diaconorum; ministerium ad parandam materiam in vasis sacris, & hoc est Subdiaconorum; vel in vasis non sacris, eamque præstandam Subdiacono, & hoc est Acolytorum; ministerium ad arcendum eos qui neque sunt etiam remotè, neque fieri volunt, capaces suscipiendi Eucharistiam, scilicet infidelis, & hoc est ministerium Ostiariorum; ministerium ad instruendum eos qui volunt fieri capaces, quales sunt Catechumeni, & hoc est ministerium Lectoris; denique ministerium ad removendum impedimentum quod aliqui etiam sufficienter instructi, habent ex Dæmonis potestate, quales sunt energumeni, & hoc est ministerium Exorcistarum. Aliqui præter hos septem Ordines ab omnibus receptos, alios duos numerant, nempe tonsuram clericalem, quam *Psalmistam* vocant, & Episcopatum, quem volunt esse Ordinem diversum à Sacerdotio. Sed de hoc infra dicemus.

Suppono quartò, horum septem Ordinum, tres priores propter excellentiam vocari majores, atque etiam sacros, eo quod proximi ad Eucharistiam, ob quam Ordines instituti sunt, accedant, & votum castitatis annexum habeant; alios verò non sacros & minores appellari, vel quia non habent solemne votum castitatis annexum; vel quia non habent aliquem actum circa rem sacram, sicut tres priores; Presbyteratus, circa corpus & sanguinem Christi conficiendum & offerendum; Diaconatus, circa Christi sanguinem populo dispensandum; Subdiaconatus, circa vasa sacra tangenda. Quamquam, ut rectè notat S. Thomas quæst. citatâ art. 3. si Ordo secundum se spectetur, etiam Minores dici possunt sacri, quia etiam ordinantur ad sacrandam animam, per gratiam & characterem, quæ in anima causant.

Demum, ut certum & ab omnibus Theologis receptum supponimus, Ordinem saltem Sacerdotalem esse verè & propriè Sacramentum. Id enim in Concilio Tridentino sess. 23. Canone 2. & cap. 1. definitum fuit, sequiturque necessariò ex dictis disp. præcedenti, si enim aliqua ordinatio Ecclesiastica sit verè & propriè Sacramentum, Pp. ii. cum

cum Ordo Sacerdotalis sit omnium potissimus, A
& finis ad quem omnes alii inferiores referuntur,
certum esse debet, illud esse propriè Sacramen-
tum. Sed de aliis inferioribus dissentio est inter
Auctores. Durandus enim & Cajetanus volunt,
nullam ordinationem inferiorem Presbyteratu,
esse verum Sacramentum. Hugo à S. Victore,
Magister sententiarum, Gratianus, & aliqui alii,
fatentur quidem Diaconatum esse Sacramentum,
sed hoc negant de Subdiaconatu, & quatuor Mi-
noribus. Denique Navarrus, Michaël de Me-
dina, Dominicus Soto, Vazquez & Martinonius,
admittunt etiam Subdiaconatum esse Sacramen-
tum, sed de quatuor Minoribus id negant. Alii
demum, tam domestici, quàm extranei, volunt B
omnes Ordines Minores atque Majores esse Sa-
cramenta. Unde sit

§. II.

Vera sententia duplici conclusione statuitur.

6. **D**ico primò, Diaconatum esse verum Sacra-
mentum à Christo institutum.

Hæc conclusio ita videtur certa, ut opposita ad-
minus temeraria sit, colligitur enim manifestè ex
Tridentino sess. 23. Can. 6. ubi sub anathemate
damnat eum qui dixerit, in *Ecclesia Catholica non*
esse Hierarchiam de qua ordinatione institutam. C
Ex hoc enim Canone liquet, Hierarchiam Eccle-
siasticam à Christo institutam, constare non so-
lùm Episcopis & Presbyteris, sed etiam ministris:
At per ministros, Diaconi saltem veniunt intelli-
gendi; Tum quia Diaconi ordine sunt proximi
Presbyteris, ut idem Concilium ibidem c. 2. ait;
Tum etiam, quia Paulus semper cum Episcopis
& Presbyteris conjungit Diaconos, ut patet ad
Philip. 3. *Cum Episcopis & Diaconibus*, & 1. ad Ti-
moth. 3. ubi postquam descripsit, qualis debeat
esse Episcopus, idem statim de Diaconibus sub-
jungit: Ergo juxta Tridentinum, Diaconi sunt à
Christo instituti, sicut & ipsa Hierarchia Ecclesia-
stica, quæ ex ipsis constat.

7. Potest insuper probari conclusio hac ratione
fundamentali. Signum sensibile causativum gra-
tiæ sanctificantis, est verum Sacramentum à Christo
institutum: Sed Diaconatus est signum sensibile,
gratiæ causativum: Ergo verum rationem Sacra-
menti habet, Major patet, Minor etiam quoad
primam partem manifesta est, Diaconatus enim
habet sensibilem materiam, nempe manuum im-
positionem, & porrectionem libri Evangelio-
rum, & specialem verborum formam, in Ponti-
ficali Romano præscriptam, probatur vero quan-
tùm ad secundam: Primo quia primi Diaconi
fuerunt ab Apostolis ordinati per manuum im-
positionem Act. 6. Ad manuum impositionem ordina-
tiva Apostolorum conferebat Spiritum Sanctum:
Ergo &c. Secundo, quia in Diaconi ordinatione
unà cum manuum impositione profert Episcopus
hæc verba, *Accipe Spiritum Sanctum ad robur &*
ad resistendum diabolo & tentationibus ejus: At-
qui ex Tridentino sess. 23. Can. 4. hæc verba non
frustra dicuntur ab Episcopo, quasi per ea Spiritus
Sancti gratia non verè conferatur, sicut ipsa
significant: Ergo in ordinatione Diaconi confer-
tur gratia. Unde Anastasius II. in Epistola 2. ad
Anastasium Imperatorem cap. 7. asserit per ordi-
nationem Sacerdotum sive Levitarum, secundùm
Canones factam, conferri gratiam Spiritus San-
cti. Idque officio Diaconi valde conveniens est,

ordinatur enim ad officium valde sacrum & sa-
ctum, ut nimirum evangelizet, & Sacerdotium
ce ebrandum proximè alligat, & ex communi-
eiusdem, Eucharistiam ministrat; & ubi dicitur,
Laicis calicem sanguinis Christi potizare.

Addo quod Theodorus Balsamon, ad Cano-
nem 36. Apostolorum, ait, *Diaconos ordinari quod-*
dem, id est characterem accipere, didicimus: At si
characterem accipiant Diaconi, non potest eorum
ordinatio non esse verum sacramentum: Ergo
Diaconatus verè rationem sacramenti habet.
Unde D. Hieronymus contra Vigilantium cap. 1.
Diaconatus verè dicitur vocari *Sacramentum Chris-*
ti; ibi enim reprehendens quosdam Episcopos,
quòd non ordinarent Diaconos, nisi prius vi-
res duxissent, his verbis utitur: *Sacramenta non*
tribuunt &c.

Dico secundò, etiam Subdiaconatum, imò &
quatuor Minores Ordines, esse sacramenta.

Probatur prima pars de Subdiaconatu, eadem
ratione quæ præcedenti conclusione ostendit
Diaconatum esse sacramentum. Nam etiam Sub-
diaconatus est signum sensibile, cum in ordina-
tione Subdiaconi, non ininus reperitur ritus eter-
nus constans rebus & verbis, quàm in ordina-
tione Diaconi. Item Subdiaconatus causat gratiam
sanctificantem, ut constat ex Florentino in de-
creto Eugenii, ubi post assignatas materias, for-
mas, & ordinarium Ministerium Diaconatus &
Subdiaconatus, subdit, effectum hujus sacra-
menti esse augmentum gratiæ: Ergo ceteris non
solum Episcopis & Presbyteris, sed etiam Subdiaconis,
conferre gratiam sanctificantem, Item patet
forma consecratoria Subdiaconi assignata à Cle-
mente lib. 8. constit. Apost. cap. 21. in qua dicitur:
Tribue ei Spiritum Sanctum, ut valeat ad mini-
strandum tibi facta, digne attrahere. Non dicitur
enim dari Spiritum Sanctum, nisi detur gratia
sanctificans. Quod etiam in ordinatione Subdiaconi
character imprimatur, constat ex mox dicenda
in probatione secundæ partis.

Probatur ergo secunda pars conclusionis, de
quatuor Minoribus Ordinibus, ex Florentino co-
raro; postquam epim dixit, Ordinem esse sacra-
mentum, & ejus materiam esse rem quæ traditur
Ab Episcopo in ordinatione, & formam, verbi
quibus res illa traditur, nominatimque id deci-
rat in ordine Sacerdotali, & in Diaconatu &
Subdiaconatu, subjungit, sic etiam debere intelli-
gi in reliquis Ordinibus, ac proinde ceteris, nulla
etiam reperiri materiam & formam sacramenti,
subinde quæ illos veram & propriam sacramen-
ti rationem habere, sicut & alios.

Probatur secundò eadem pars: Ordo imprimen-
ti characterem est verè & propriè sacramentum. Sed
quatuor Minores Ordines imprimunt caracte-
rem: Ergo sunt verè & propriè sacramenta. Ma-
jor patet, nihil enim, præter sacramentum, im-
primit characterem spirituale in anima. Minor
probatur primò ex D. Thoma hic quæst. 35. art. 2.
ubi quærit utrum in sacramento Ordinis im-
primatur character, quantum ad omnes Ordines.
Et concludit affirmativè. Verba ejus sunt: *Re-*
spondeo dicendum quod circa hoc fuit triplex opinio.
Quidam enim dixerunt, quod in solo Ordine Sa-
cerdotali character imprimitur. Sed hoc non est
verum, quia actum Diaconi nullus potest exercere
licite, nisi Diaconus, & ita quod habet aliquam
spiritualitatem, potestatem in dispensatione sacramen-
ti, quam alii non habent. Et propter hoc alii
dixerunt, quod in Sacris Ordinibus imprimitur
character.

character, non autem in Minoribus. Sed hoc nihil uerum est, quia per quemlibet Ordinem aliquis constituitur supra plebem in aliquo gradu potestatis ordinate ad sacramentorum dispensationem. Unde cum character sit signum distinctivum ab aliis, oportet quod in omnibus character imprimatur, cuius etiam signum est, quod perpetuo manent, & nunquam iterantur. Et hac est tertia opinio, quæ communior est. Quibus verbis S. Doctor, non solum aperte docet, Minores Ordines imprimere characterem, sed etiam rationem fundamentalem insinuat, quæ id potest breviter suaderi. Quod est irreiterabile ex benedictione perfecta & consecratoria, imprimit characterem spiritua-

11. Dices cum Vazque, consecrationem Ecclesiæ, altaris, & calicis, nec non benedictionem vestium sacramentum esse irreiterabilem, & tamen non imprimere characterem.

Sed contra: Idem consecratio Ecclesiæ, & calicis, vestiumque sacramentum benedictio, non imprimat characterem, quia deputatur solum ad usum, non verò ad aliquid reale & intrinsecum recipiendum aut agendum, quod excedat eorum virtutem.

12. Ex his inferes primò, Patrem Martinonum, affirmantem Subdiaconatum esse verum sacramentum, ob auctoritatem Doctorum, præcipue verò D. Thom. & negantem quatuor Minores Ordines veram sacramenti rationem habere, minus coherenter loqui & scribere, cum iuxta D. Thomam supra relatum, non minus Ordines Minores, quam Majores, imprimant characterem (qui est proprius sacramentorum effectus) eò quod non minus illi quam isti semel suscepti iterari non possunt, imò omnes Ordines sint unum Ordinis sacramentum, ut idem S. Doctor ait quæst. 57. art. 1. ad 2.

13. Inferes secundò, non minus Ordines Minores, quam Majores, fuisse à Christo immediate institutos; cum solus Christus sit Author omnium Sacramentorum, nec potestatem reliquerit Ecclesiæ instituendi sacramenta, ut in Tractatu de Sacramentis in communi ostentum est, & definitur in Tridentino (sess. 7. Canone 1. his verbis: Si quis dixerit sacramenta novæ legis non fuisse omnia à Christo instituta, anathema sit.

Addo ex Augustino Epist. 118. Quod fuit in Ecclesia semper observatum, cuius observationis initium ignoratur, censetur originem duxisse ab Apostolis, qui à Christo edocti, illud Ecclesiæ servandam tradiderunt: Ad Minorum Ordinum usus, semper fuit ab Ecclesia servatus, à temporibus ipsius Christi; nam de illis fit expressa mentio in canone quarto, quinto, & sexto Apostolorum. D. Etiam Clemens, Discipulus Beati Petri, & S. Ignatius, Discipulus I. Ioannis, de istis ordinibus loquantur, primus libro 8. constitutionum Apostolicarum, alter verò in Epistola ad Antiochenos, ut in tertia suppositione ostem-

Sam. V.

sum est. Idem D. Hieronymus in argumento super primam Epistolam ad Thessalonicenses, dicit Epistolam illam fuisse missam per Oneum Acolytum, unde præsupponit Ordinem illum fuisse temporibus Apostolorum. Demum Tridentinum sessione 23. cap. 2. ait: Ab ipso Ecclesiæ initio horum ordinum nomina, & unuscuiusque propria ministeria fuisse cognoscuntur: Ergo non illi ab Ecclesia, sed ab ipso Christo immediate instituti sunt.

§ III.

Solvuntur objectiones.

14. **O**bjicies primò contra primam conclusionem: S. Anacletus Epist. 3. cap. 2. in fine docet Diaconatum, & reliquos ordines inferiores, non fuisse à Christo institutos, & consequenter non esse sacramenta. Sic enim ait de Episcopatu & Sacerdotio loquens: Amplius quam isti duo ordines Sacerdotum, nobis nec à Deo collati sunt, nec Apostoli docuerunt. Idem asserit Damasceus Epist. 5. his verbis: Non amplius quam duo ordines inter Discipulos Domini esse cognovimus, id est duodecim Apostolorum & septuaginta Discipulorum. Similiter Cyrillus lib. 2. Epist. 9. docet, Diaconos non à Christo, sed ab Apostolis, institutos esse: Ergo Diaconatus non est sacramentum à Christo institutum.

15. Confirmatur primò, quia videntur Diaconi ex occasione quadam instituti, nimirum ob murmur Græcorum, & solo ministerio mensarum addicti, ut patet Act. 6.

Confirmatur secundò: Omne sacramentum novæ legis constat certâ materiâ & formâ à Christo præscriptâ: At Diaconatus nullam habet certam materiam vel formam, nunc enim pro materia habet librum Evangeliorum, cum proportionata forma sibi respondentem; tempore verò Apostolorum, pro materia habebat manuum impositionem, pro forma verò verba aliqua deprecatoria, ut constat ex Clemente lib. 8. Constit. cap. 17. 18. & 21. ubi sic dicitur: Ego Philippus constituo ut Diaconum ordines, Episcopo, imponendo ei manus, presentibus Presbyteris, & Diaconis, & præcando ei dicas: Deus omnipotens exaudi orationem nostram, & ostende faciem tuam super nunc servum tuum electum tibi ad ministerium &c. Ergo Diaconatus non est sacramentum novæ legis à Christo institutum, sed duntaxat aliquod ministerium, ab Ecclesia præceptum & ordinatum.

16. Ad objectionem Respondeo, Anacletum loco citato non loqui de omnibus ordinibus à Christo institutis, sed solum de ordinibus Sacerdotii, ita ut sensus propositionis ejus sit iste. Duo solum ordines Sacerdotii, nempe Presbyteratus & Episcopatus, reliquit nobis Deus, & Apostoli docuerunt; loquitur enim contra illos, qui Primates, seu Patriarchas, in altiori ordine ponebant, quam Episcopos, & ait: Ordo Sacerdotum, frater, bipartitus est, & sicut Dominus illum constituit, à nulli debet perturbari; idque confirmat ex eo quod Christus solum elegit duodecim Apostolos, quibus Episcopi respondent, sexaginta Discipulos, quibus successerunt Sacerdotes. Deinde concludit: Amplius quam isti ordines Sacerdotum nec à Deo collati sunt, nec Apostoli docuerunt. In quo etiam sensu Damasus Epistola citata duos tantum ordines, scilicet Sacerdotum, agnoscit, agens contra Chorepiscopos, qui se

P. III.

me-

medios faciebant inter Episcopos & Presbyteros, A. subindeque tertium Sacerdotum ordinem in diu fingebant. Unde de illis ait: *Si nec Episcopi sunt, & plusquam Presbyteros esse ambiunt, per quod ostium intrabunt, cum hi tantum duo Ordines (Sacerdotum) in Ecclesia legantur?*

Ad Cyprianum dico, ipsum tantum velle, Christum non ordinasse per seipsum Diaconos, sicut ordinavit Episcopos & Sacerdotes, sed tantum commississe Episcopis, ut Diaconos ordinarerent. Ex quo non sequitur, Christum non instituisse hoc sacramentum, nam etiam Christus nullum confirmavit, & tamen Sacramentum Confirmationis instituit.

17. Ad primam confirmationem respondeo, ex B. occasione quidem ordinatos fuisse primos Diaconos, sed non ex occasione inventum esse ordinem Diaconorum, sed à Christo institutum. Falsum verò est quod subjungitur; nempe Diaconos fuisse ab Apostolis electos, solum ad ministrandum mensis fidelium; constat enim ex Clemente supra citato, ex Anacleto Epist. 1. cap. 2. & ex Iuliano Apologia 2. in fine, atque ex omnibus antiquis Authoribus, Diaconos esse ministros altaris, & Sacerdoti sacrificanti immediate assistere. Unde Dionysius cap. 3. Hierarchia Ecclesiastica post enarratas functiones Minorum Ordinum, subdit: *Qui verò ipsius Ordinis precipui sunt, una cum Sacerdotibus sanctum panem, & benedictionis calicem sacrosanctis altaribus imponunt.* Et Ambrosius 2. Officiorum cap. 41. recitavit verba S. Laurentii ad Sixtum Papam: *Experire certo utrum idoneum, ministrum elegeris, cui commisisti Domini sanguinis dispensationem.* Legitur etiam Act. 8. quod Philippus unus ex septem primis Diaconis non ministrabat mensis, sed prædicationi & Baptismo operam dabat. Adde cum Bellarmino quod initio nascentis Ecclesie Diaconi non solum constituti erant Hierosolymis, ubi fideles convivebant, ut eis in mensa ministrarent, sed etiam Philippis, Ephesi, & Cæsar, ut patet ex Epistolis Pauli ad Philppenses, ad Timotheum & Titum; & tamen in illis civitatibus Christiani non convivebant, subindeque ibi ministris mensarum opus non erat.

Ad secundam dicendum, Christum determinasse solum quantum ad genus, materiam & formam sacramenti Ordinis, earumque determinationem specificam Ecclesie reliquisse, ut ostendimus articulo sequenti; subindeque initio nascentis Ecclesie, quando liber Evangelicorum nondum scriptus erat, potuisse Apostolos per solam manuum impositionem, & verba deprecatoria à D. Clemente relata, ordinare Diaconos. De quo satis articulo sequenti.

18. Obijcies secundò contra secundam conclusionem: Subdiaconatus non erat olim ordo sacer, E. sed postea factus est à Pontificibus, ut ex Canone Nullus in Episcopum dist. 60. probat Innocentius III. c. A multis, de ætate & qualitate ordinandorum. Ergo non est verum Sacramentum à Christo institutum, sed duntaxat à quod officium seu ministerium ab Ecclesia introductum.

19. Confirmatur: Subdiaconatus non semper in tota Ecclesia habitus fuit necessarius, ut per illum ad Majores Ordines, & ad supremum, qui est Episcopatus, ascenderetur. Nam in Concilio Sardicensi, Can. 13. sic habetur: *Si quis voluerit fieri Episcopus, non prius constituitur, quam Lectoris, & Diaconi & Presbyteri ministerium peregerit, & ita per singulos gradus, si estimatus fuerit dignus*

ascendat ad culmen Episcopatus. Cujus rei exempla non pauca de SS. Chrysostomo, Eucherio, Ambrosio Constantino, Cæsario Episcopis, Irenæo, & aliis multis sic ordinatis non parvis Subdiaconatu, referunt Petrus Arcadius lib. 1. de Sac. cap. 9. columnà 10. & Ioannes Morinus Congregationis Oratorii Presbyter, in libro de sacris Ecclesie ordinationibus, parte 3. Exercitatione 11. cap. 2. Atqui si Subdiaconatus fuisset ordo à Christo institutus, non fuisset omisus ab Ecclesia, cum juxta Christi institutionem, per sacramentalia ordines inferiores ascendendum sit quasi per gradus ad superiores. Ergo Subdiaconatus non est Sacramentum. Hoc argumentum proponit Martinus hic disp. 66. scilicet 2. illudque insolitum relinquit; eoque convictus, probabilem censet eorum sententiam, qui Subdiaconatum non esse Sacramentum asserunt.

Confirmatur amplius: Subdiaconi poterant ordinari à Chorepiscopis, ut patet ex concilio Antiocheno cap. 10. At Chorepiscopi erant simplices Presbyteri, qui Ordinis Sacramentum conferre non possunt; ut asserit S. Damianus Epist. 7. supra citata. Ergo Subdiaconatus non est Sacramentum Ordinis.

Ad objectionem respondeo primo, quod antecedente, negando consequentiam, non enim id est ordo sacer & Sacramentum; nam Ordines Minores sunt Sacramenta, ut supra ostensum est, & tamen non vocantur Ordines.

Secundò dico, Majores Ordines duplici titulo vocari sacros; nimirum quia proximitas accedunt ad Eucharistiam, ob quam omnes Ordines instituti sunt; & quia votum solemne castitatis annexum habent. Quamvis ergo Subdiaconatus ab initio non fuerit ordo sacer hoc secundo titulo, quia in primitiva Ecclesia Subdiaconi non tenebantur servare continentiam; semper tamen primo modo seu titulo fuit Ordo sacer, quia semper proximius accessit ad Eucharistiam, quam alii Ordines Minores.

Ad primam confirmationem, in primis dico, argumentum illud nimis probare & ab omnibus Theologis solvendum esse; censent enim omnes Theologi contra Durandum, Diaconatum esse Sacramentum, & oppositam sententiam in errorem & temerariam rejiciunt; & tamen Diaconatus non semper in tota Ecclesia habitus fuit necessarius, ut per illum ad Sacerdotium & Episcopatum ascenderetur; plura enim ex Antiquorum testimoniis refert Morinus loco citato sanctorum exempla, qui, omisso Diaconatu, ad Presbyteratum & Episcopatum promoti fuerunt in primitiva Ecclesia. Id nominatim esset de sancto Ambrosio, Bituricensi Archiepiscopo, ut in vita natione (inquit) Diaconatus omisus est; premissis enim omnibus Minoribus, si Levitatum accipias, Subdiaconus factus est; deinde missus Diaconatu, Presbyter, ut refert Author antiquus apud Surium 20. Maii, his verbis: *Abbas Augustinus Antiochorum, & à Beato Annario Episcopo, decessit à Cæsaria; Clericus effectus est, & ordinatus Subdiaconus.* Deinde ad memoratum Eucherium profectus est, qui iam Lugduni factus Episcopus, cum ingenti gaudio humanissime accepit, Presbyterumque, & Abbatem B. Niceren Episcopi & Constantini ordinavit.

Respondet secundò, si vera sint ea exempla, quæ prædicti Authores referunt, Christum dicens, non potuisse in primitiva Ecclesia, ut non parvulus ordinibus inferioribus, & Subdiaconatu, potest fieri

fieri ascensus ad Majores Ordines, & ad supremum, qui est Episcopatus, ob varias causas & necessitates tunc occurrentes. Idque necessariò tenetur dicere Adversarij, ut salvent ordinationem B. Austregesili, & aliorum, qui, omisso Diaconatu, ad Presbyteratum & Episcopatum promoti sunt, fuisse validam & legitimam. Unde mirum est, quod P. Martinonius, qui cum alijs Theologis censet, Diaconatum esse Sacramentum, id negat de Subdiaconatu, vel saltem probabile existimet, ipsum non esse Sacramentum, eo solum ductus fundamento, quòd Subdiaconatus non semper in tota Ecclesia habitus fuit necessarius, ut per illum ad Majores Ordines, & ad supremum, qui est Episcopatus, ascenderetur. Si enim hoc argumentum valet, sequeretur etiam Diaconatum non esse Sacramentum, cum aliqui Sancti, omisso etiam Diaconatu, ad Sacerdotium & Episcopatum promoti fuerint, ut supra citati Authores referunt, & varijs exemplis ostendunt.

24. Tertiò responderi potest, quòd quando in vitis aliquorum Sanctorum legitur, eos, amissis Ordinibus inferioribus, ascendisse ad superiores, hoc nò debet intelligi de omissione Ordinum inferiorum, quantum ad receptionem characteris, sed solum quoad exercitium & ministerium; interdum enim in primitiva Ecclesia aliqui viri sancti, ad Sacerdotium, vel Episcopatum promovebantur, antequam Minorum Ordinum, & Diaconatus ac Subdiaconatus ministeria & officia exercere potuissent, quia tunc aliquam Ecclesiarum necessitas id exigebat. Ex quo faciliè intelliges canonem Concilij Sardicenis supra relatum; in eò enim non permittitur, ut quis fiat Episcopus, antequam Minores Ordines & Subdiaconatum susceperit, sed solum antequam in eorum Ordinum ministerijs sese exercuerit, ut constat ex ipsis verbis canonis, in quo sic dicitur: *Si quis voluerit fieri Episcopus, non prius constituatur, quam Leitoris, & Diaconi, & Presbyteri ministerium peregerit, &c.*

25. Ad secundam confirmationem dicendum cum Bellarmino, duo fuisse genera Chorepiscoporum, aliqui enim erant veri Episcopi, & erant quales nunc sunt Suffraganei, qui sunt Episcopi titulares aliarum Ecclesiarum, & de his loquitur Concilium Antiochenum, dum ait, Subdiaconos posse à Chorepiscopis ordinari. Alii vero erant solum Presbyteri, qui tanquam vicarii Episcopi, in oppidis majoribus & muratis morabantur; & ab his negat Damasus Epist. 4. posse ordinari Subdiaconos.

26. Obijcies tertiò: Quando plures actiones ordinantur ad unum aliquem effectum spirituales, illa sola habet rationem veri Sacramenti, quæ talem effectum attingit, ut patet in Baptismo, Exorcismo; & Catechismo; solus enim Baptismus est Sacramentum, quia solus attingit spirituales regenerationem; alia vero actiones, sunt tantum Sacramentalia, sive dispositiones: Sed præter Ordinem Sacerdotalem nullus alius attingit effectum principalem Sacramenti Ordinis, qui est conficere corpus Christi. Ergo nullus alius est Sacramentum Ordinis propriè dictum.

27. Respondeo distinguendo Majorem: Si plures illæ actiones nihil aliud habeant quam disponere, nec specialem ac spirituales effectum, nempe gratiam sanctificantem, in anima producant, ut contingit in Catechismo & Exorcismo, concedo Majorem. Si præter illam dispositionem, specialem ac spirituales effectum, nimirum gratiam in

A anima producant, nego Majorem. Quamvis autem Ordines Sacerdotio inferiores, non attingant productionem Eucharistiae, sed ad illam tantum disponant, causant tamen duplicem effectum specialem ac spirituales in anima, gratiam scilicet & characterem, in genere causæ efficientis instrumentalis, subindeque sunt verè & propriè Sacramenta.

28. Dices, Operationes quas exercent Diaconus & Subdiaconus, vel quatuor Minoribus inirati, sunt mere naturales, ut cantare Epistolam, vel Evangelium, deferre vasa sacra ad altare, portas templi claudere & revertere, aquam & vinum porrigere &c. Ergo ad eas exercentes non est opus peculiari gratia & habilitate, conferendi per Ordines Sacerdotio inferiores.

Respondeo quòd licet actiones illæ materialiter, consideratae, sint merè naturales, ut tamè sunt sacrae ceremoniae, ad solemnioris sacrificij celebrationem ordinatae, sunt quodammodo supernaturales; unde ut ad tam altissimum munus & finem dirigantur, requiritur specialis gratia & character, vel ut ait Florentinum, ut Ordinatus per gratiam susceptam fiat idoneus minister.

29. Obijcies quartò cum Martinono & Vazque: Magna fuit in Ecclesia à tempore Apostolorum circa Minores Ordines varietas: At nequit in Sacramentis à Christo institutis varietas esse, cum non subjacent Ecclesiae potestati: Ergo Minores Ordines non sunt Sacramenta à Christo instituta. Major probatur, nam tempore Apostolorum, præter quatuor Minores Ordines, erant alii duo, nempe Ordo Cantorum, ut colligitur ex Canone 27. Apostolorum, & Ordo laborantium seu Fossorum, qui ad fidelium corpora humanda destinabantur, ut constat ex Ignatio in Epistola ad Antiochenos, ubi sic ait: *Saluto sanctum Presbyterorum collegium: saluto sacros Diaconos: saluto Hypodiaconos, Lectores, Cantores, Janitores, Laborantes, Exorcistas.* Contra neque Apostoli, neque Patres ipsorum temporibus proximi, ullam Acolytatus mentionem fecerunt, neque à Græcis hic ordo admittitur, ut Arcudius & Morinus supra citati affirmant. Demum Exorcistatus tempore Apostolorum non numerabatur inter Ordines, sed inter gratias gratis datas, ut patet ex Clemente lib. 8. const. cap. 26. ubi hæc scribit: *Exorcista non sit ordinatione: certare enim pro premio Exorcista, libera voluntatis est, ac Dei gratia per Christum, & adventum Spiritus sancti. Siquidem qui gratiam sanitatum accipit, per revelationem declaratur à Deo, cum gratia quæ in eo est, omnibus est manifesta.*

30. Respondeo quòd licet fuerit in Ecclesia à tempore Apostolorum varietas aliqua, accidentalis circa Minores Ordines, nulla tamen fuit circa eos mutatio seu varietas substantialis. Nam ut ait Tridentinum sess. 23. cap. 2. *Ab ipso Ecclesiae initio horum Ordinum nomina, & uniuscujusque propria ministeria fuisse cognoscuntur.* Ad primam verò probationem in contrarium, nego officium Cantoris tempore Apostolorum fuisse Ordinem distinctum à illis qui nunc sunt; nam vel fuit idem Ordo cum Lectoratu, ut aliqui existimant, quia nimirum Cantor modulando profert, quæ Lector planè voce pronunciat. Vel ut alij probabilius censent, non erat tunc temporis Ordo, sed solum dispositio ad Ordines, uti nunc est prima tonsura, quæ cum pendeat ex mera institutione Ecclesiae, pro varietate temporum, variam potuit habere ceremoniam. Unde in primitiva Ecclesia, officium

officium Cantoris, non ab Episcopo, sed à sola Presbytero injungebatur, ut constat ex Concilio Carthaginensi IV. cap. 10. ubi sic dicitur: *Psalmista, id est Cantor, potest absque scientia Episcopi, sola iussione Presbyteri, officium suscipere cantandi, dicente sibi Presbytero: Vide, ut quod ore cantas, corde credas; & quod corde credis, operibus comprobas.*

Ad secundam, nego à S. Ignatio officium laborantium inter Ordines Ecclesiasticos connumerari: neque enim ex eo quod in sua Epistola illos cum aliis ordinatis recenseret, rectè colligitur, eos pariter clericali Ordine insignitos fuisse, cum eos solum recenseat salutandi gratiâ; sicut & Paulus in suis Epistolis, cum Clericis sæpe salutat alios qui Clerici non erant. Nec Patres de illo officio mentionem faciunt, ut de speciali Ordine Clericali, sed ut de insigni operè misericordiæ, quod fidelium defunctorum corporibus exhibetur, Quod si ab aliquibus Ordo appelletur, large nomen Ordo accipiunt. Quo pacto illud usurpavit Hieronymus, vel Author Epistolæ ad Rusticum Narbonensem: apud Hieronymum tomo 9. dum ait cap. 1. *Primitiæ igitur in Clericis Fossariorum ordo est, qui in similitudinem Tobie sancti, sepelire mortuos admoventur.*

Ad tertiam, nego Majorem, Cornelius enim Papa in Epistola ad Fabium Antiochenum supra citata, meminit quadraginta duo Acolytorum, qui suo tempore in Ecclesia Catholica erant. Et Hieronymus in primam Epistolam & Thessalonicenses, dicit Epistolam illam fuisse missam, per unum Acolytum, subindeque supponit Ordinem illum fuisse tempore Apostolorum, ut supra dicebamus. Alii verò Patres rarè illius Ordinis mentionem fecerunt, quia in primitiva Ecclesia, propter personarum paucitatem & penuriam, officium Acolyti à Diaconis vel Subdiaconis, altari ministrantibus, suppleri solebat. Idem dicendum de Ecclesia Græca, ut enim refert Arcudius lib. 6. de Sacram. cap. 9. officium Exorcistæ apud Græcos exercebat à Sacerdotibus, Acolyti à Subdiacono, vel à Lectore; & Ostiarii, à Subdiacono.

Ad quartam dico, duplex Exorcistarum genus fuisse in primitiva Ecclesia, alii enim fiebant Ordinatione Episcopi, quo pacto S. Martinus à S. Hilario Exorcista constitutus est; & de illis loquitur Cornelius Epistola supra citata ad Fabium Antiochenum, cum ait in Ecclesia Catholica suo tempore fuisse Exorcistas quinquaginta duos, Alii verò Exorcistæ dicebantur, ob gratiam gratis datâ, & donum expellendi Dæmones ab energumenis, quod à Deo acceperant, & de istis loquitur Clemens, cum ait lib. 8. *Constitut. Exorcista non fit ordinatione, sed qui gratiam sanitatum accipit, per relationem declaratur à Deo, &c.*

§ IV.

Solvitur alia objectio.

31. **C**ontra præcedentes conclusiones aliud solet objici argumentum, quod præstet sic breviter proponi. Si non solum Sacerdoti, sed etiam Diaconatus, & Subdiaconatus, nec non quatuor Minores Ordines, sint Sacramenta, non erunt tantum septem Sacramenta, sed tredecim: At hoc est contra fidem, & expressam Tridentini definitionem: Ergo &c. Sequela Majoris probatur: Si quilibet Ordo est Sacramentum, Sacra-

mentum Ordinis erit aliqua ratio communis omnibus septem Ordinibus: Sed multiplicatio inferiori, debet necessario multiplicari superiori. Ergo si quilibet Ordo est Sacramentum, non erunt tantum septem Sacramenta, sed tredecim.

Respondent aliqui, non esse nisi septem Sacramenta, quia Sacramentum Ordinis est unitate genericâ, continens sub se septem species.

Sed contra: Licet omnes homines sunt unum genere, non tamen censentur unus homo, aut animal unum. Item licet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, &c. genericè conveniant in ratione Sacramenti, non possunt tamen dici unum Sacramentum: Ergo similiter et eo quod Sacerdotium, Diaconatus, Subdiaconatus, & quatuor minores, genericè in ratione Sacramenti Ordinis conveniant, non possunt dici unum Sacramentum Ordinis appellari; alioquin ergo unitas Sacramenti Ordinis definit debet.

Unde Respondent alii, quemlibet Ordinem esse Sacramentum incompletum tantum & partiale, subindeque ex omnibus simul sumptis integrari unum completum & perfectum Sacramentum Ordinis; sicut ex duplici specie panis & vini simul sumptâ, constituitur unum totale & integrum Sacramentum Eucharistiæ, per modum perfecti convivii, & integræ refectionis spiritualis institutum; quia quilibet species totum est tantum Sacramentum partiale & incompletum.

Sed hæc solutio non placet, Tum quia Thomas hic quæst. 37. art. 1. ad 2. expressè negat Sacramentum Ordinis esse totum integrale, Tum etiam, quia Sacerdotium, cum inferiores Ordines eminenter contineat, se solo, & independentè ab aliis Ordinibus, est verum & completum Sacramentum Ordinis: Si autem ex Sacerdotio & aliis ordinibus inferioribus integraretur unum completum & perfectum Sacramentum Ordinis, solum Sacerdotium non posset dici Sacramentum Ordinis completum & perfectum; sicut in Eucharistia solæ species panis non dicuntur Sacramentum completum, quia non sunt signum unius perfectæ & integræ refectionis spiritualis. Ad id quod quilibet Ordo producit distinctâ gratiam, & distinctam charactèrem; partes verò integrantes unum aliquod Sacramentum, non habent causare distinctam gratiam, cum unius Sacramenti non sit nisi unus effectus; ut patet in Sacramento Extremæ. Unionis, in quo, juxta communio-rem & probabiliorè sententiam, quilibet unctio & forma partialis, gradum aliquem gratiæ non producit, sed sola ultima unctio causat integrum ejus effectum; quia ante illam, Sacramentum non est completum & perfectum, ut Tractatu præcedenti ostendimus.

Melius ergo respondetur, quod licet quilibet ex septem Ordinibus sit verum Sacramentum, eo quod quilibet causat gratiam & charactèrem; nihilominus, quia omnes Ordines inferiores Sacerdotio, tendunt ad ipsum, ut ad principale ministerium, & ad ritè & convenienter peragendam corporis Christi consecrationem, ut à eodem ordinantur, ratione unitatis Ordinis quam inter se habent, & finis ad quem tendunt, unum cum Ordini Sacramentum dici possunt. Ex quo intelligitur, Sacramentum Ordinis non esse totum integrale, vel universale, sed potentiale, cujus hæc est natura, quod totum, secundum completum

tam rationem est in uno, in aliis vero est aliqua participatio ipsius; tota enim plenitudo huius Sacramenti est in Sacerdotio, in aliis vero Ordinibus inferioribus est quaedam participatio illius, maior vel minor, secundum quod magis vel minus accedunt ad Sacerdotium, ut docet D. Thomas hic quaest. 37. art. 1. ad 2. In eo tamen differt ratio universalis Sacramenti Ordinis à toto potenciali, quod ratio totius potentialis non predicatur simpliciter de singulis inferioribus, v. g. poenitentia, religio, & ceterae partes potentialis iustitiae, non sortiuntur simpliciter denominationem totius; at vero quilibet Ordo in particulari denominatur simpliciter Ordo & Sacramentum.

35 Quæritur hic aliqui, an prima tonsura sit Ordo & Sacramentum?

Respondetur negativè cum S. Thoma hic quaest. 40. art. 2. contra aliquos Canonistas, qui præter septem Ordines ab omnibus receptos, alios duos numerant, nempe tonsuram clericalem, & Episcopatum. Rationem assignat S. Doctor, quia in omni Ordine veram Sacramenti rationem participante, aliqua specialis & spiritualis potestas traditur ordinato: Atqui in prima tonsura nulla talis potestas traditur, non enim per eam Clerici deputantur ad aliqua divini cultus officia, quæ à laicis exerceri non possint, sed solum ad divinas laudes decantandas, ad quod specialis potestas non requiritur. Ergo tonsura Clericalis non est Ordo, sed dispositio quadam & preparatio congruentissima ad Ordines, vel ut loquitur S. Thomas, *præambulum ad Ordinem*.

36 Nec obstat quod Innocentius III. in cap. Cum contingat, de etate & qualitate ordinandorum, interrogatus, an Ordo Clericalis in tonsura constituitur? Respondetur affirmativè. Nam eo loco accipit Clericalis Ordinem, pro statu quo tonsurati à laicis segregati, iis præminent, non pro gradu peculiarem aliquam potestatem conferente.

Non obest etiam quod tonsura ab Episcopo conferatur. Nam (præterquam quod multi Abbatibus habent potestatem tonsurandi, ut dicitur in 7. Synodo cap. 14. relata Can. Quoniam videmus, dist. 69.) potuit Ecclesia statuere, ut non nisi Episcopus, qui est Ordinum ordinarius Minister, esset etiam prima tonsuræ, ut dispositionis ad Ordines collator.

37 Variæ autem huius ceremoniæ assignari solent rationes à SS. Patribus: Dionysius enim cap. 6. de Ecclesiastica hierarchia dicit, hac nudatione capitis significari vitam puram & apertam, nullaque specie fucatam, qualis Clericorum & Monachorum vita esse debet. Isidorus lib. 2. de divinis officiis cap. 4. ait idè tondendi Clericos, ut intelligant debere se curas superfluas rescare, quæ per crines, quæ sunt superflua quadam capitis excrementa, significantur. Quam etiam rationem innuit Gregorius in moralibus dicens: Caput tendere, nihil aliud esse, quam superfluas cogitationes a mente rescare. Similem rationem assignat Concilium Tridentense Can. 20. ubi dicit: Clericos in hac vita nudi, ut solitudinem coronæ Domini in capitis sui gerant, quos & servos suos dicit & esse voluit, sortemque illorum se consequi, sicut de illis scriptum est, Ego hereditas eorum, &c. Addit S. Thomas hic quaest. 40. art. 1. quod eis qui ad divina ministeria applicantur, competat raso capite, & tonsura, in modum coronæ, quia corona est signum regni & perfectionis, cum sit circularis: illi autem qui divinus mi-

nisteris applicantur, adipiscuntur regiam dignitatem, & perfecti in virtute esse debent. Unde Ivo Carnotensis tomo 1. o. Bibliotheca Patrum, serm. de Sacrorum Ordinum excellentia, ad Clericos ait: Ad hoc capillos in modum coronæ raditis, ut & regnum spirituale quo ceteris præminetis, tali figura ostendatis, & cura mortalis. Necebras frequenter redeuntis sic amputetis de corde, sicut crines frequenter resurgentes abraditis de capite. Demum Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, in theoria rerum Ecclesiasticarum, & Venerabilis Beda lib. 5. Historiæ Anglorum cap. 22. dicunt, coronam fieri Clericis, ad exprimendam imaginem spinæ coronæ Christi Domini, & indicandum debere illos ejus patientiam imitari.

ARTICULUS II.

Quæ sit ordinum singulorum materia & forma?

Hic solum agemus de materia & forma quatuor Minorum, & Subdiaconatus; quia circa materiam & formam Diaconatus, & Sacerdotii, gravis occurrit difficultas, articulo sequenti disceptanda & resolvenda.

38 Dicendum ergo primò, materiam ostiariatus esse claves Ecclesiæ, quæ ab Episcopo traduntur; formam vero hæc verba, quæ ab illo proferuntur: *Sic agite quasi Deo reddatur rationem, pro iis rebus, quæ his clavibus recluduntur. Materiam lectoratus librum lectionum, quem lectionarium vocant; formam vero hæc verba Episcopi: Accipite, & estote verbi Dei relatores &c. Materiam exorcistatus librum in quo exorcismi continentur; formam vero hæc verba Episcopi: Accipite & commendate memoriam, & habete potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos, Materiam acolytatus esse contactum urceoli vacui; formam vero consistere in his verbis: Accipite Urceolum ad suggerendum vinum & aquam in Eucharistiam sanguinis Christi.*

39 Hæc conclusio, quoad tres priores partes, de ostiariatu, exorcistatu, & lectoratu, est communis inter Theologos, & expressè habetur in Ponticali Romano, quod citat Concilium Florentinum in decreto Eugenii. Quantum vero ad ultimum, quæ est de acolytu, est levis aliqua controversia inter Theologos: Richardus enim existimat, ejus materiam consistere in contactu candelabri, cui favere videtur Ponticale Romanum, jussu Pii V. Anno 1572. editum; item in margine, characterem imprimi Acolyto in traditione cerei. Alii vero Theologi communiter censent, materiam Acolytatus esse urceolos, subindeque in eorum contactu, huius Ordinis characterem imprimi. Idque expressè docet S. Thomas hic quaest. 37. art. 5. ad 6. his verbis: Principalior actus Acolyti est quo ministrat in urceolo, quam quo ministrat in candelabro; quamvis denominetur ab actu secundo, propter hoc, quod est magis motus, & magis proprius ei; & idè in datione urceoli imprimitur Acolyto character, virtute verborum ab Episcopo prolatorum.

Ratio etiam id suadet: Cum enim omnes Ordines inferiores Sacerdotio, tendant ad ipsum, ut ad principale ministerium, & ad ritè & convenienter peragendam corporis Christi consecrationem ordinentur, in Ordinibus habentibus plures actus seu officia, illud censetur præcipuum & essentiale, quod magis & proximius

Q99

ad

ad Eucharistiam ordinatur; unde cum preparatio materiae consecrandae magis ordinetur ad Eucharistiam, quam portatio cerei ad Evangelium, dicendum est, essentiam Ordinis Acolytatus consistere in traditione, non candelabri cum cereo, sed urceoli vacui cum verbis formae ipsi correspondentis, subindeque in datione urceoli imprimi characterem. Idem cum proportionem asserendum est de ostiariatu, cum enim ex duobus actibus in quibus ejus exercitium consistit, nimirum convocare ad officium divinum, & aperire & claudere Ecclesiam, ut fideles intersint sacrificio, & infideles, vel indigni, quales sunt excommunicati, arceantur; iste magis accedat ad ministerium Sacramenti Eucharistiae, farentur omnes, essentiam hujus ordinationis consistere in traditione, non cimballi, sed clavium Ecclesiae, tanquam in materia, & in verbis quae tradendo talem materiam dicit Episcopus, velut in forma. Unde reliqua quae sunt ab Archidiacono, ducente Ostiarios ad fores Ecclesiae, & campanarum funes tradente, non sunt de essentia hujus Ordinis; quia non traduntur ab Episcopo, sed exercitium quoddam muneris dati Ostiario.

41 Dico secundò; materia Subdiaconatus est contactus calicis vacui, & patenae vacuae; forma verò hæc verba: *Videte ejus ministerium vobis traditur, ideo vos admittite, ut ira vos exhibeatis, ut Deo placere possitis.* Est contra aliquos, qui videntes formam alii Sacramenti essentialem exprimi verbo imperativo, per illud verbum, *Accipite potestatem &c.* existimant formam Subdiaconatus exprimi his verbis, quae proferuntur etiam ab Episcopo: *Accipite potestatem cantandi Epistolam*, subindeque contactum libri Epistolarum esse materiam hujus Ordinis. Nihilominus cum Concilium Florentinum expresse asserat materiam hujus Sacramenti esse contactum calicis vacui, & patenae vacuae; forma verò & materia debeant proportionem & similitudinem habere, omnino tenendum est, formam Subdiaconatus consistere in verbis supra dictis, quae proferunt Episcopus, cum calicem vacuum & patenam Subdiacono porrigit. Addo quod, cum Ordinis Sacramentum consistat in potestate exercendi actum ipsius principalem, & ex duobus actibus qui Subdiacono competunt, nempe legere Epistolam, & deferre calicem vacuum ad altare, Sacerdotique seu Diacono materiam Eucharistiae consecrandam ministrare, potior sit secundus, utpote vicinior ministerio Sacerdotis, & consecrationem Eucharistiae, inde est quod in traditione calicis vacui character Subdiacono imprimatur, subindeque forma Subdiaconatus consistat in verbis illis, *Videte ejus ministerium vobis traditur &c.* quae tunc ab Episcopo proferuntur. Unde D. Thomas hic quaest. 38. art. 1. ad 2. Principalis actus Subdiaconi est in hoc quod cooperatur circa materiam Sacramenti, & ideo characterem accipit in hoc quod datur ei calix ab Episcopo.

43 Dices, Diaconatus Ordo confertur, quando Episcopus tradit librum Evangeliorum ipsi ordinando dicens: *Accipe potestatem &c.* Ergo etiam character Subdiacono imprimatur, quando Episcopus tradit librum Epistolarum, sub his verbis: *Accipe potestatem.*

Sed nego consequentiam, tum quia argumentum à simili non valet in his quae pendent ex institutione; tum etiam, quia, ut recte discut-

rit D. Thomas hic quaest. 37. art. 5. ad 4. *Diaconi est media inter potestatem Subdiaconi & Sacerdotis. Sacerdos enim directe habet potestatem per corpus Christi, Subdiaconus autem super ius tantum; sed Diaconus super corpus Christi in respectu contentum, unde ejus non est tangere corpus Christi, sed portare corpus in patena, & dispensare sanguinem eum calice; & ideo ejus potestas ad actum principalem non potuit exprimi, nec per dationem tantum, nec per dationem materiae; sed exprimitur potestas ejus ad actum secundarium tantum, in hoc quod datur ei liber Evangeliorum, & in hac potestate intelligitur alia. Et ideo in ipsa libri datione exprimitur character.*

Quæres, qualis contactus materiae requiratur in ordinando?

Respondeo duas circa ejus qualitates resolutionem verari celebres & probabiles sententias. Quidam enim apud D. Thomam hic quaest. 34. art. 5. in tertio argumento, putant non esse necessarium, ut ordinandus physice contingat materiam, sed sufficere ut extensione manuum ostendat se eam ab ordinante acceptare, quod est moraliter eam contingere. Quam sententiam in responsione argumenti admittit ut probabilem, eamque plures ex recentioribus Theologis & Casuistis sequuntur; alii vero physicum materiae contactum in ordinando requirunt, ut hæc sententia tucior ac probabilior est, tum quia est communior, & in eam S. Doctor locum citato ut probabilior inclinatur, dicens: *Ipse verba forma videntur ostendere, quod actum materiae sit de essentia sacramenti, quia dicitur, accipe hoc non illud. Tum etiam, quia alias materia non videtur sufficienter ordinando applicari; nam cum hoc consistat in re physica, videtur physicum contactum requirere. Et hoc confirmat sollicitudo quam omnes prudentes hujus sacramenti ministri adhibent, ut ordinandus physice materiam tangat. Non est tamen necessarium, quod tangat proxime singula quae pro materia offeruntur, sed sufficit quod in ordinatione Sacerdotis verbi gratia, tangatur calix superpositus patenae; quae magis necessarium est tangi hostiam ipsam, patenae superpositam, quam vinum in calice contentum; quod certe nullus ordinandus tangit. Quod propter nullos scrupulosos notare obiter hic volui.*

ARTICULUS III.

Utrum manus impositio ad ordinationem Sacerdotis & Diaconi essentialiter requiratur, vel sola instrumentorum traditio, cum forma verborum ipsi correspondentem, essentiam ordinationis Sacerdotum & Diaconorum constituat?

Pro intelligentia & resolutione hujus tituli quæstionis, sciendum est, in Ecclesia Latina ordinari Diaconum duplici ceremoniâ, quarum prima est impositio manuum Episcopi cum hac verborum forma, *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, & ad resistendum Diabolo & tentationibus ejus.* Posterior est traditio libri Evangeliorum, cum prolacione horum verborum: *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei &c.* Similiter Sacerdos in Ecclesia Latina duplici ceremoniâ ordinatur, nempe per impositionem

strumentorum, id est patenae, cum hostia superposita, & calicis cum vino, cum hac verborum forma: *accipe potestatem offerendi sacrificium* &c. & impositione manuum Episcopi ordinantis, quae duplex est, una quae fit initio ipsius ordinationis simul ab Episcopo & duobus Sacerdotibus; aliam quae fit in fine Missae, quando Episcopus super caput Sacerdotis manus imponens ait: *Accipe Spiritum Sanctum: quoniam remisisti peccata, remittantur eis* 3. & de ista praecipue est difficultas & controversia inter Theologos, an sit de essentia ordinationis Sacerdotalis, vel ceremonia omnino accidentalis? Nam D. Bonaventura, Durandus, Beccanus, & Arcudius, existimant in ea totam essentiam ordinationis Sacerdotum consistere; & similiter totam essentiam Diaconatus sitam esse in impositione manuum Episcopi, quae fit ante traditionem libri Evangeliorum. Alij vero docent, tam potestatem instrumentorum, quam impositionem manuum esse de essentia utriusque ordinationis, subindeque duas materias & duas formas partiales, ad plenam essentiam constituendam, admittunt. Ita Scotus, Bellarminus, Coninck, Henriques, & alij ex Recentioribus. Vazquez autem facit quidem totam essentiam Ordinis Diaconatus consistere praecise in traditione libri Evangeliorum, cum formula verborum ipsi correspondente, sed docet impositionem manuum esse de essentia Ordinationis Sacerdotis. Demum Soto in 4. dist. 24. art. 4. vult impositionem manuum esse ceremoniam omnino accidentalem. Alij vero ex nostris Thomistis, ut Nugno & Candidus, concedunt quidem illam non esse de essentia ordinationis Sacerdotis & Diaconi; dicunt tamen esse de illius perfectione & integritate, eo fere modo, quo satisfactio est de integritate sacramenti poenitentiae, licet non sit pars essentialis illius.

S. I.

Verior & probabilior sententia, duplici conclusione statuitur, & explicatur.

- D**ico primo, sola instrumentorum traditio, cum forma verborum correspondente, constituit totam essentiam ordinationis Sacerdotum & Diaconorum, subindeque manuum impositionem non est de illius essentia.
- 45 Prima pars probatur primo ex Florentino in Decreto Eugenij, ubi sic dicitur: *Ordinis materia est illud per cuius traditionem confertur Ordo; sicut Presbyteratus traditur per calicem cum vino & patenam cum pane potestatem. Et paulo post: Forma Sacerdotij talis est: Accipe potestatem offerendi sacrificium. Quibus verbis Concilium pro materia Presbyteratus assignat tantum potestatem calicis cum vino, & patenae cum pane: Ergo censet, manuum impositionem, nec totalem, nec partialem esse Ordinis Sacerdotalis materiam.*
- 86 Probatur secundo ex Tridentino sess. 22. cap. 1. ubi Apostolus tunc novi Testamenti Sacerdotes constituisse Christus dicitur, cum corpus & sanguinem suum ut sumerent tradidit, & eisdem ac eorum in sacerdotio successoribus offerrent, praecipit per haec verba: *Hoc facite in meam commemorationem, ut Ecclesia semper intellexit. At horum verborum loco, in Sacerdotis Ordinatione, ponuntur haec: Accipe potestatem offerendi sacrificium &c. Ergo per ista verba, & per calicis cum vino, & patenae cum pane potestatem, quae tunc fit, cum proferuntur ab Episcopo, Diaconi constituuntur Sacer-*

Tom. V.

A dotes, subindeque manuum impositio non est de essentia Ordinationis sacerdotalis, sed sola instrumentorum traditio, cum forma verborum ipsi correspondente, totam illius essentiam constituit.

Probatur tertio eadem pars ratione fundamentalis: Impositio manuum non est de essentia Ordinationis sacerdotalis, nec totalis vel partialis ipsius materia, si ante illam character sacerdotalis imprimatur: Sed character sacerdotalis imprimitur ante impositionem manuum, nimirum in ipsa traditione instrumentorum, cum forma verborum ipsi correspondente: Ergo impositio manuum non est de essentia Ordinationis sacerdotalis, nec materia; vel forma partialis illius, sed sola instrumentorum traditio, cum forma verborum ipsi correspondente, totam essentiam Ordinationis Sacerdotum constituit. Major patet, nullum enim sacramentum habet effectum sibi proprium, gratiam scilicet, vel characterem, antequam adiacent omnia ipsi essentialia: Idem enim ut tacite occurritur militariae quae possit fieri in contrarium in sacramento Eucharistiae, consecratio unius speciei non dependet, quoad suum valorem & effectum, a consecratione alterius; quia essentia huius sacramenti, in ratione sacramenti, consistit tota in consecratione unius speciei, ita ut consecratio alterius sit tantum de eius integritate. Minor vero probatur primo ex D. Thoma sic quae 37. art. 5. in corp. ubi sic concludit: *ad missae dationem calicis, sub forma verborum determinata, character sacerdotale imprimitur.*

Secundo probatur ratione: Episcopus profert porrigendo calicem haec verba: *accipe potestatem offerendi sacrificium &c.* quae potestas est ipsi se character sacerdotalis: Ergo cum verba illa debeant statim esse vera, & habere effectum quem significant, dicendum est ante impositionem manuum, in ipsa traditione calicis, imprimi characterem sacerdotalem.

Tertio, Neomitis, seu sacerdotes recenter ordinati, antequam manus illis imponantur, cum illis verbis: *accipe spiritum sanctum &c.* simul cum Episcopo proferunt verba consecrationis: Sed hoc non permetteretur, nisi iam haberent potestatem ad consecrandum corpus & sanguinem Christi, subindeque characterem sacerdotalem, qui nihil aliud est quam talis potestas: Ergo ante impositionem manuum, sacerdotes recenter ordinati habent characterem sacerdotalem.

Quarto, cum aliquis Ordo habet plura officia, tunc confertur character, quando datur potestas exercendi officium magis praecipuum, ut patet in ordinibus Ostiarj, Acolyti, & Subdiaconi: Sed ex duobus officiis quae habet Sacerdos, nimirum offerre sacrificium, seu Eucharistiam conficere, & remittere peccata, istud est finis principis & secundarium: Ergo character sacerdotalis non imprimitur, quando Episcopus imponendo manus, dat potestatem remittendi peccata, sed quando porrigendo calicem, dat potestatem offerendi sacrificium.

Quinto, Judas, tamen si solum offerendi sacrificij potestatem in nocte cenae cum alijs Apostolis receperit, characterem Sacerdotalem habuit: fuit enim verus Sacerdos novi Testamenti, ut ex verbis illis Psalmi 108. quae S. Petrus Act. 1. ad illum pertinere indicat, colligitur: *Episcopatum eius accipiat alter* 3. Hoc est sacerdotium,

Q. 99. 2

tium,

tium; respondens, ut Chrysostomus in eum locum homil. 3. commentatur: Ergo character Sacerdotalis imprimitur ante impositionem manuum, cum datur potestas offerendi sacrificium.

88 Secunda pars conclusionis, quæ asserit impositionem manuum non esse de essentia Ordinationis Diaconorum, probatur primò ex Florentino in Decreto Eugenii, ubi post verba illa suprâ relata: Presbyteratus traditur, per calicem cum vino, & patenam cum pane porrectionem, statim subdit: Diaconatus per libri Evangeliorum dationem; nullam prorsus mentionem faciendo de manuum impositione: At si Concilium existimasset impositionem manuum esse materiam saltem partialem Diaconatus, non debuisset illam subtrahere: Ergo impositio manuum non est de essentia Ordinationis Diaconorum.

89 Confirmatur: Gregorius IX. in cap. Presbyter, de Sacramentis iterandis, sic ait: Presbyter & Diaconus, cum ordinantur, manus impositionem corporali ritu ab Apostolis introducto recipiunt. Quod si omisum fuerit, non aliquatenus iterandum, sed statim tempore ad quosmodi Ordines conferendos caute supplendum quod per errorem extitit prætermisum: At hæc doctrina de non iteratione huius Sacramenti in tali casu esset falsa, si non in sola traditione libri Evangeliorum, cum sua formula, consisteret essentia Ordinationis Diaconi: Ergo &c.

90 Probatur secundò eadem pars hac ratione: Ille tantum ritus est de essentia Ordinationis Diaconi per quem ministerium ipsi peculiare significatur: Sed per manus impositionem, & verba illi correspondentia, nullum ministerium Diacono peculiare significatur: non quidem per manuum impositionem, ut constat; neque per verba illa ipsi correspondentia: Accipe Spiritum sanctum ad robur, ad resistendum diaboli & tentationibus ejus; utpote quæ sunt generalia, & cuilibet Ordinationi possent convenire: Ergo impositio manuum sub præscripta forma verborum, non est de essentia Ordinationis Diaconi.

91 Dico secundò, Impositionem manuum non esse ceremoniam aliquam omnino accidentalem Ordinationi Sacerdotali, sed ad ejus integritatem pertinere.

Probatur breviter: Possè à peccatis absolvere pertinet ad integritatem Sacerdotii: Sed per impositionem manuum quæ fit ab Episcopo in fine Missæ, hæc verba proferente: Accipe Spiritum sanctum, quorum remisit peccata, remittuntur etiam Sacerdos accipit potestatem remittendi peccata, cum talis potestas per hæc verba significetur: Ergo talis impositio manuum pertinet ad integritatem Ordinationis Sacerdotalis. Minor patet, Major etiam certa videtur: Sacerdotium enim ex diversis constat officiis, sicut corpus integratur ex pluribus membris, videlicet ex officio sacrificandi, & ex officio absolvendi à peccatis; quorum primum est præcipuum, & subindeque cum datur potestas illud exequendi, character Sacerdotalis imprimitur, ut præcedenti conclusione ostensum est; secundum verò est minus principale; unde cum datur Sacerdoti potestas absolvendi à peccatis, non imprimitur character, sed tantum datur argumentum gratiæ ad ritè exercendum tale munus: hoc enim denotant verba illa Episcopi, Accipe Spiritum sanctum; neque enim Spiritus sanctus datur sine infusione gratiæ: Unde Tridentinum sess. 23. cap. 3. sic ait: Si quis dixerit per sacram ordinationem non dari

Spiritum sanctum ac prout frustra episcopus dicit: Accipe Spiritum sanctum, anathema sit: Ergo impositio manuum est de integritate Ordinationis Sacerdotalis, eo modo quo latius dictum est pars integralis Sacramenti Penitentiae.

Ex hoc intelliges, quod si alicui ex Negatis, seu Sacerdotibus recentè ordinatis, Episcopus non imponeret manus, ille quidem non verus Sacerdos, cum posset offerre Sacramentum Missæ, & Eucharistiam conficere; non tamen perfectus Sacerdos, quia deest ei completum ad integritatem Sacerdotii novæ legis requisitum, nimirum potestas absolvendi à peccatis.

S. II.

Solvuntur objectiones.

Obijcies primò contra primam conclusionem: In Scriptura, Conciliis, & SS. Patribus Sacerdotium & Diaconatus confertur duntaxat per manuum impositionem: Ergo hæc de essentia utriusque ordinationis. Consequenter videtur legitima, Antecedens vero patet ex apostolo 1. ad Timotheum 4. & 2. ad Timotheum 1. ubi motheus dicitur ordinatus in Sacerdotem, vel Episcopum, per impositionem manuum, Item Actuum 6. septem primi Diaconi ordinantur ab Apostolis per manuum impositionem: Hos (ait sacer textus) statuerem autem aspectum Apostolorum, & stantes impositionem manus. Similiter Concilium Nicaenum cap. 13. imponere manus, idem esse indicat, quod præterea ordinarè: & Concilium Carthaginense cap. 3. sic ait: Presbyter cum ordinarè, postquam benedixerit, manum super caput ejus imponat. Dionysius etiam cap. 5. Ecclesiastica Hierarchia expresse docet, Episcopum, Sacerdotem, & Diaconum consecrari per manus impositionem. Idem docent frequenter alii SS. Patres, unde Græci ordinationem vocant χειροτονία, id est manuum impositionem.

Confirmatur: Nisi manuum impositio sit de essentia Ordinationis Sacerdotum, & Diaconorum, nullo Scripturæ vel Patrum testimonio probari poterit contra Hæreticos talen ordinationem esse Sacramentum, quia Scriptura & SS. Patres, qui asserunt per talem ordinationem conferri gratiam, dicunt eam conferri per manuum impositionem, ut patet ex illo testimonio de dignitate Sacerdotali cap. 5. Hæc manuum impositio, & Deus largitur gratiam.

Confirmatur amplius ex Tridentino sess. 23. cap. 3. ubi loquens de Extrema Unctione dicitur, ejus ministerium esse Episcopum, vel Presbyterum, cum, ritè ordinatum, per manus impositionem, ritè ordinatum, si ritus ille non esset essentialis tali ordinationi: Ergo &c.

Ad objectionem respondeo. Scripserunt Concilia, & SS. Patres loca citatis loqui de Sacerdotio & Diaconatu, collato tempore Apostolorum; tunc enim per solam manuum impositionem conferebantur, ut titulus missæ clarabimus. Vel ordinationes illas impositionem manuum appellantes, eo quod talis ceremonia, ad integritatem & complementum illarum spectet, ut conclusione secunda ostendimus.

Ad primam confirmationem, nego Antecedens: Quamvis enim Scriptura, & SS. Patres, qui asserunt Ordinem conferri gratiam, dicant eam conferri per manuum impositionem, non

tamen traditio instrumentorum, cum forma verborum ipsi correspondente, quae modo fit in Ecclesia Romana, quando Ordo confertur, est ritus non formaliter, sed materialiter tantum diversus ab impositione manuum, quae tempore Apostolorum fieri solebat, ut constabit ex infra dicendis, non minus efficaciter concluditur contra Sectarios, Ordinationem quae fit modo in Ecclesia Romana, esse verum sacramentum, quam eam quae fiebat tempore Apostolorum, & initio nascentis Ecclesiae.

58 Ad secundam respondeo, Tridentinum loco citato tantum definire, ministrum Extremae-Unionis esse solum Sacerdotem; obiter verò dixisse illum debere esse ordinatum per manuum impositionem; neque ad hoc verificandum opus esse, quod manuum impositio sit de essentia ordinationis sacerdotalis, sed sufficere quod sit de integritate illius; unde concessa Majori, neganda est Minor. Si verò queras, cur Concilium ibi potius mentionem fecerit impositionis manuum, quam perfectionis instrumentorum? Respondeo breviter, hoc idem dixisse Concilium, quia Extrema-Unionis, cuius occasione illud affert, ministratio ad eam potestatem pertinet, quae in manuum impositione confertur, quasi appendix quaedam remissionis peccatorum, ut in Tractatu de Extrema-Unionis declaravimus; ibi enim ostendimus, Sacramentum Extremae-Unionis esse Sacramenti poenitentiae completivum, quia sicut illud peccata, ita illud peccatorum reliquias abstergit.

59 Obijcies secundo: Illud quod est sensibile, & causativum gratiae, pertinet essentialiter ad rationem Sacramenti. Sed manuum impositio in ordinatione Sacerdotum & Diaconorum, est signum sensibile, & effectivum accipus gratiae, ut docet D. Thomas hic quaest. 37. art. 5. in corp. ubi sic ait: Per manuum impositionem datur plenitudo gratiae per quam (ministris) ad magna officia sint idonei, & ideo soli Diaconibus & Sacerdotibus fit manuum impositio, quia eis competit dispensatio sacramentorum &c. Ergo manuum impositio in ordinatione Sacerdotum & Diaconorum pertinet essentialiter ad rationem Sacramenti.

60 Respondeo Majorem non esse univ. saliter veram, satisfactio enim in Sacramento poenitentiae, est aliquid sensibile, & causativum accipus gratiae, & tamen non est de essentia, sed tantum de integritate illius Sacramenti. Idem dicendum de impositione manuum, quae fit in ordinatione Sacerdotum; quamvis enim illa sit aliquid signum sensibile, causativum augmenti gratiae, non sequitur quod sit pars essentialis talis ordinationis, sed sufficit quod sit de ejus integritate; non enim in impositione manuum abundantior gratia causatur, ex eo quod tunc fiat novum Sacramentum, aut novus ordo, sed quia praecedens completur complemento integrali; eo quod character Sacerdotalis tunc accipit novam perfectionem realem, ratione cuius potest ligare & absolvere, quod ut ritè à Sacerdotibus fiat specialis gratia requiritur.

61 Obijci tertio: Si sola instrumentorum traditio, cum forma verborum ipsi correspondente, constitueret totam essentiam ordinationis Sacerdotum & Diaconorum, sequeretur quod in Ecclesia Graeca non servarentur ea quae sunt essentialia Sacramento Ordinis, ex parte materiae & formae: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Minor est certa, quia certum est validas esse

Græcorum ordinationes. Primò, quia sunt non solum à schismaticis, sed etiam ab iis qui ad unionem cum Ecclesia Romana accesserunt; idque etiam Romae in propria Ecclesia, sciente & tacite saltem approbante Summo pontifice. Secundò, quia ordinati à Graecis non reordinantur à Latina Ecclesia, quando à schismate recedunt, & ad eam convertuntur: Tertiò, quia in Concilio Florentino coacto ex Graeca & Latina Ecclesia, Latini hac de re nullum dubium Graecis moverunt; sed illos pro veris Episcopis & Sacerdotibus habuerunt; in quibus etiam Bessarion, Nicænus Episcopus, in Cardinalem S. Romanae Ecclesiae, ab Eugenio promotus fuit. Quarto, quia durum videtur dicere, tam illustrem portionem gregis Christi, carere & caruisse vero Sacerdotio, & Basilium, Gregorium, Athanasium, Chrysostomum, &c. non Episcopos, sed Apostolos extitisse. Denique, quia expressè assertum in capite quod translationem, extra de temporibus ordinandorum, Græcorum ordinationes esse validas. Probatur ergo sequela Majoris: In Ecclesia Graeca cum ordinatus Sacerdos, Episcopus non porrigit illi calicem cum patena, nec profert verba illa quae à Latini Episcopis profert solent: Accipe potestatem offerendi sacrificium; sed tantum manus imponit cum pallio, profert ista verba: Divina gratia qua semper infirmis sanat, & quae desunt supplet, promoveat N. venerabilem Diaconum in Presbyterum. Oremus igitur pro eo, ut veniat super ipsum gratia sanctissimi Spiritus. Similiter Diaconus in Ecclesia Graeca non ordinatur; Neut in Latina, per traditionem libri Evangeliorum, cum prolatione horum verborum, Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei; sed per solam manuum impositionem, & haec verba: Divina gratia, qua semper infirmis curat, & imperfectis perficit, promoveat N. reverendum Subdiaconum in Diaconum. Oremus igitur pro ipso, ut veniat super ipsum gratia sanctissimi Spiritus. Ita refert Arcudius Author Graecus lib. 6. de Sacram. cap. 2. & Cardinalis Delugo disp. 2. de Sacram. in genere sect. 5. testatur se vidisse Romanos Graecos Episcopos hoc ritu Ordines conferentes: Ergo si sola instrumentorum traditio, cum forma verborum ipsi correspondente, constitueret totam essentiam ordinationis Sacerdotum & Diaconorum, sequeretur quod in Ecclesia Graeca, non servarentur ea quae sunt essentialia Sacramento Ordinis, ex parte materiae & formae.

Huic difficillimae objectioni respondeo, negando sequelam Majoris; licet enim in Ecclesia Graeca Sacerdotum & Diaconatus per solam impositionem manuum, cum verbis relatis conferantur, non sequitur tamen quod in Ecclesia Graeca non serventur ea quae sunt essentialia Sacramento Ordinis, ex parte materiae & formae; quia nimirum Christus non determinavit in specie materiam & formam huius Sacramenti, sed genericè tantum instituit, ut loco materiae adhiberetur signum aliquid sensibile, significativum potestatis quae traditur; & loco formae adhiberentur verba eandem potestatem sufficienter exprimentia. Hoc autem reperitur in utraque Ecclesia Latina & Graeca, unde utraque servat omnia essentialia à Christo instituta; quamvis determinatio signi sensibilis & materialis, praedictam potestatem significantis, diversa sit apud Graecos & Latinos: imò & in ipsa Ecclesia Latina, pro di-

verſis temporibus: nam tempore Apoſtolorum, & initio Eccleſiæ, determinatio iſtius ſigni ſenſibilis & materialis, ad manus impoſitionem facta eſt ab Apoſtoliſ, ut indicat Gregorius IX. cap. *Presbyter* de Sacramentis non iterandis, ubi expreſſe affirmat, manus impoſitionem quā Sacerdotes ordinantur, eſſe ritum introductum ab Apoſtoliſ, patetque eos ſic ordinari Diaconos Act. 6. & Presbyteros Act. 14. & 1. ad Timoth. 1. quem ritum Græca Eccleſia huc uſque ſervavit: Latina verò Eccleſia, ad maiorem expreſſionem poteſtatis per Ordinem collatæ, tale ſignum ſenſibile ad porrectionem inſtrumentorum, cum præſcripta forma verborum determinavit. Quare utraque Eccleſia ſervat eſſentia ſua Sacramenti, & tantum differt penes accidentalem determinationem ſigni ſenſibilis, & verborum.

63 Potest hæc ſolutio illuſtrari & explicari exemplo deſumpto ex Sacramento matrimonii: Chriſtus enim matrimonii materiam & formam inſtituit, conſenſum contrahentium, externis verbis, aliſve ſignis expreſſum: Hæc autem ſigna non determinavit in particulari, ſed reliquit ea communi uſui & voluntati contrahentium. Unde ſicut talia ſigna in Sacramento matrimonii ſunt quidem determinata à Chriſto, ſecundum rationem ſuam formalem, ſive ſignificationem, quæ ſuus voluit determinatè eſſe talia, quæ rem certam determinatè ſignificent; indeterminata tamen ſecundum eſſe materiale: ita inſtituit materiam Ordinis, ſecundum rationem formalem determinatam, quæ ſcilicet determinatè ſignificaretur hic & nunc ordinato tribui certam poteſtatem Eccleſiaſticam; indeterminatam tamen ſecundum eſſe materiale, quatenus reliquit in poteſtate Eccleſiæ, per traditionem huius vel illius rei, huius poteſtatis collationem ſignificare. Sicut tamen non eſt in cuiusque poteſtate, per quodvis verbum quodvis ſignificare, ſed hoc pender à communi uſui; ita non eſt in poteſtate alicujus particularis Episcopii, per cuiusvis rei traditionem, prædicta poteſtatis collationem ſignificare, ſed hoc pender à determinatione Eccleſiæ, quæ inſtituit ut hoc fieret in Sacerdotio per traditionem calicis cum vino, & patenæ cum pane; & in Diaconatu, per traditionem libri Evangeliorum, & verbis eis reſpondentibus, & ſic de cæteris Ordinibus.

64 Ex his intelliges, Sacerdotium vel Diaconatum collatum tempore Apoſtolorum, vel quod modo conferitur in Eccleſia Græca, non eſſe ſpecie diſtinctum à noſtro, ſed tantum accidentaliter; quia licet habeant diverſas materias & formas; illa tamen diverſitas non eſt formalis, ſed tantum materialis, eo quod ordinantur ad eundem effectum ſignificandum & cauſandum, & unitas vel diverſitas ſpecifica ſigni, ex unitate vel diverſitate ſpecifica rei ſignificatæ ſumatur. Idem cum proportionem dicendum eſt de Sacramento Confirmationis, quod per ſolam manuum impoſitionem ab Apoſtoliſ interdum conferebatur, vel de eo quod modo à Græcis ſub hac verborum forma conferitur: *Signaculum domini Spiritus ſancti*. Illud enim, ob eandem rationem, non differt ſpecie à noſtro, cujus materia eſt chriſma ab Episcopo conſectum, & forma hæc verba quæ ab eo proferuntur: *Conſigno te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, &c.*

DISPUTATIO III.

De miniſtro & ſubjecto Sacramenti Ordinis.

Leet iſtud Sacramentum reſpicit tantum ſuum miniſtrum & ſubjectum ſed etiam proprium effectum, qui eſt duplex, gratia nimirum ſanctificans, cum pure ad ſpectu ſua auxilia, neceſſaria ad dignè operandum actus proprios Ordinis ſuſcepi, & charactere, ve poteſtas ſpiritualis, ad eliciendum illos ad valide & ex officio; quia tamen de hoc deſpectu effectum fuſe egimus in Tractatu de Sacramentis in communi, de miniſtro tantum & ſubjecto huius Sacramenti, nobis reſtat diſcurrere. Unde ſit

ARTICULUS PRIMUS.

Quis ſit miniſter Sacramenti Ordinis.

Certum & indubitatum eſt apud omnes Catholicos, ſolum Episcopum eſſe ordinatum miniſtrum Sacramenti Ordinis, tum quia hoc aperte definierunt Florentinum in litteris Eugenii, & Tridentinum ſell. 23. can. 7. ubi dicitur Episcopos eſſe Presbyteris ſuperiores, & habere poteſtatem confirmandi & ordinandi, quæ non eſt illis communis cum Presbyteris. Tum etiam, quia in Scriptura multoties dicitur quod Episcopi ordinant, videlicet: Act. 14. ad Titum 1. & 2. ad Timoth. 1. nullquam verò quod alii Sacerdotes conferant hoc Sacramentum.

Ratio etiam ſuffragatur, nam ſolus Episcopus eſt Chriſti reipublicæ præſectus & patriarcha, ſive Sacramentorum princeps: ſed ſolum principem & præſectum, perimet officium & miniſteria conferre & distribuere: Ergo &c. Item ſolus Episcopus eſt miniſter ordinis conſecrationis vaſorum, & collationis Sacramenti Confirmationis: At nobiliſſimo modo inquit Thomas hic quaſt. 78. art. 2. applicatæ miniſtri ad cultum divinum, per Ordinem, quàm vaſa ſacra; & Sacramentum Ordinis eſt, quid excellentius, quam Sacramentum Confirmationis. Ergo ordinarius miniſter Ordinis, non eſt alius quam Episcopus.

In hoc, ut dixi, conveniunt omnes Catholici, ſed difficultas eſt & gravis controverſia inter Theologos, an ſimplex Sacerdos ex commiſſione ſummi Pontificis poſſit eſſe miniſter ordinarius huius Sacramenti, & Ordine dicitur Majoribus ſive Minoribus valide conferre: Id eundem de omnibus Ordinibus affirmat Angelus verbo Ordo 2. num. 2. ſequitur Innocentium IV. ubi citatum, Paſormitanum cap. *Quantum*, de conſecrat. num. 9. & ex Recentioribus Vazquez diſputa. 4. cap. 4. Alii verò exiſtimant, non poſſe ſimplex Sacerdotem ex commiſſione Pontificis conferre Presbyteratum, & tamen Minores Ordines, & Diaconatum, ac Subdiaconatum. Ita Franciſcus Amicus, Martinus, & alii Recentiores. Alii ad affirmant tantum de Subdiaconatu, & quatuor Minoribus, in Suarez, Tellerus, Henriquez, Coninck, & alii. Denique negant alii de omnibus Ordinibus majoribus, & concedunt ſolum de quatuor Minoribus.

Ita Paludanus, Capreolus, Sylvester, Nugno, A
Petrus de Ledesma, Sylvius, & alij.

6. I.

Verior & probabilior sententia, duplici conclu-
sione statuitur.

Dico primò: Nequit simplex Sacerdos ex
commissione Summi pontificis conferre
Majores Ordines. Ita D. Thomas hic quæst. 38.
art. 1. ad 1. ubi hæc scribit: Papa qui habet plenitu-
dinem potestatis Pontificatus, potest committere non E-
piscopo ea quæ ad Episcopalem dignitatem pertinent,
dummodo illa non habeant immediatam relationem ad
verum corpus Christi; & idè ex ejus commissione ali-
quis Sacerdos simplex potest conferre minores Ordines,
& confirmare, non autem aliquis non Sacerdos nec i-
terum Sacerdos majores Ordines, qui habent imme-
diatam relationem ad corpus Christi, supra quod con-
secrandum Papa non habet majorem potestatem, quam
simplex Sacerdos. Quibus verbis rationem funda-
mentalem nostræ conclusionis insinuat: Cum e-
nim Summus Pontifex non habeat majorem po-
testatem supra corpus Christi verum in Euchari-
stia, quam simplex Sacerdos, quia habet solum
potestatem circa ipsum ut consecrandum, ex e-
jus commissione non potest simplex Sacerdos
illos Ordines conferre, qui immediatam rela-
tionem habent ad corpus Christi verum: Sed
Majores Ordines immediatam relationem ha-
bent ad corpus Christi verum: Ergo nequit sim-
plex Sacerdos ex commissione Summi Pontifi-
cis illos conferre. Minor est certa, nam licet
non evidenter constet quod Subdiaconatus dicat
immediatum Ordinem ad corpus Christi (idè-
que plures existiment, posse Pontificem conce-
dere simplici Sacerdoti, ut ordinet Subdiacono-
num) id tamen de Sacerdotio & Diaconatu ma-
nifestum est; nam corpus Christi verum duplici-
ter considerari potest in Eucharistia, nempe ut
consecrandum, & ut distribuendum fidelibus,
sive ut deferendum: ut consecrandum immédia-
tè respicitur à Sacerdotio, cujus proprium mu-
nus est conficere corpus & sanguinem Christi
per verba consecrationis; ut deferendum verò,
sive distribuendum, respicitur immédia-
tè ab Ordine Diaconi, utpote qui in primitiva Ecclesia
ex officio distribuere sanguinem Christi sub
speciebus vini, & modò portat ex officio corpus
Christi in pixide, vel in patena: Major verò pro-
batur: Si non obstante quod potestas Summi
Pontificis in verum Christi corpus non sit major
eà quam habet simplex Sacerdos, posset nihil-
ominus simplex Sacerdos, ex ejus commissione
illos Ordines conferre qui immediatam rela-
tionem habent ad corpus Christi idem posset va-
lidè absque ejus commissione; quemadmodum
enim commissio non potest augere potestatem
simplicis Sacerdotis supra corpus Christi verum;
ita nec extendere illam potest supra ea quæ im-
mediatè corpus illud respiciunt.

4 Confirmatur & explicatur hæc ratio: Ideò po-
test summus Pontifex committere simplici Sa-
cerdoti ut validè Sacramentum Confirmationis
administret, quia potestas administrandi hoc Sa-
cramentum, est potestas aliquid præstandi quod
immediatam relationem habet ad corpus Chri-
sti mysticum, sive ad membra talis corporis,
nempe ad fideles, capaces suscipiendæ Confir-
mationis; major autem est potestas Summi Pon-
tificis, quam simplici Sacerdotis, supra corpus
Christi mysticum: Ergo cum è contra summus

pontifex non habeat majorem potestatem su-
pra corpus Christi naturale, quam simplex Sa-
cerdos, non potest ei concedere facultatem mi-
nistrandi illos Ordines qui immédia-
tè ad illud corpus, juxta tritum illud Philoso-
phorum axioma: Si affirmatio est causa affirmatio-
nis, negatio erit causa negationis.

Confirmatur ampliùs: Si summus Pontifex pos-
set dare facultatem simplici Sacerdoti confe-
rendi Majores Ordines, vel ex potestate juris-
dictionis id posset, vel ex potestate Ordinis: Non
ex potestate jurisdictionis, utpote quæ non est
ad actus qui immédia-
tè respiciunt corpus Christi mysticum,
vel solum remotè habitudinem dicunt ad cor-
pus Christi naturale. Neque ex potestate Ordinis,
utpote quæ non est major in Summo Pon-
tificis, quam in aliis inferioribus Episcopis, qui
tamen nequeunt facultatem illam simplici Sa-
cerdoti committere, ut fatentur Adversarij: Er-
go summus Pontifex non potest dare faculta-
tem simplici Sacerdoti conferendi Majores Or-
dines.

Dico secundo simplicem Sacerdotem posse ex
commissione vel privilegio Summi Pontificis
conferre Minores Ordines. Constat tum ex pra-
xi Ecclesiæ, tum ex Tridentino sess. 23. cap. 10.
de reform. ubi Concilium supponit Abbates ex
privilegio Sedis Apostolicæ, posse Minores Or-
dines conferre Regularibus sibi subditis, solum-
que prohibentur, ne eos conferant laicis etiam
sibi subiectis. Eodem privilegio gaudent Pres-
byteri Cardinales, ex consuetudine, quæ, ut ait
Soto, est optima legum interpret.

6. II.

Solvuntur objectiones.

Contra primam conclusionem objicitur pri-
mò: Florentinum in Decreto Eugenij sta-
tuens solum Episcopum esse ministrum Sacra-
menti Ordinis, addit ordinarium: Ergo cum lo-
quatur de ministro Ordinis universaliter sum-
pto, censet simplicem Sacerdotem posse esse mi-
nistrum extraordinarium ex commissione Pon-
tificis, Sacramenti Ordinis universaliter sum-
pti, & consequenter Sacerdotij & Diaconatus.
Secundo, ex Concilio Antiocheno cap. 10. &
Ancyrano cap. 13. concedebatur Chorepiscopis
(qui ut fusi docet Damasus Epist. 5. non erant ni-
si simplices Sacerdotes) collatio Diaconatus &
Presbyteratus, dummodo ab Episcopo civitatis
licentiam accepissent.

Tertiò, Innocentius VIII. concessit Abbati-
bus ordinis Cisterciensis facultatem conferendi
suis Monachis utrumque ordinem Diaconatus
& Subdiaconatus, ut referunt Emmanuel Ro-
dericus tomo 1. quæst. 12. art. 3. & Vazquez hic
disp. 243. ca. 4. qui ait tale privilegium se legisse
in quodam vetusto Codice qui inscribitur:
Collecta Bullarum Ordinis Cisterciensis, & in Biblio-
theca Collegij Complutensis Societatis Jesu ser-
vatur.

Ad primum respondeo. Florentinum dicendo
Episcopum esse ministrum Sacramenti ordinis,
addidisse ordinarium, propter ordines Minores,
qui licet sint sacramenta, possunt tamen, ex com-
missione Summi Pontificis, à non Episcopo va-
lidè & licitè conferri.

Ad

11 Ad secundum respondetur primo, instituta A Synodi Antiochena; tempore Julii i. habita; nullius esse authoritatis, utpote quæ ab Africanis edita fuere, ut probat Baronius tomo 3. ad annum Domini 341, unde nonnulla ex illis, antiquis Ecclesiæ constitutionibus repugnant, qualia sunt quæ habentur can. 13. contra celibatum Sacerdotum. Nec obstat quod quidam Pontifices aliquando nonnullos ex Canonibus illius Concilii citaverint; id enim solum fecerunt quando agebant contra Græcos, ut eos propriis armis debellarent.

12 Secundo respondetur, duplicis generis olim Chorepiscopos fuisse, quidam enim non aliud erant quam Presbyteri, licet haberent ab Episcopo aliquam commissionem super reliquos Presbyteros, qualem nunc habent Decani, & de illis loquitur Damasus Epistolâ citatâ: Alii vero erant veri Episcopi, sed vel sine certa Diocesi, solumque ad conversionem infidelium ordinati, vel Vicarii tantum aliorum Episcoporum; & de istis loquitur Concilium Antiochenum, ut liquet ex ipso textu, sic enim habet: *Qui in villis & vicis constituti sunt Chorepiscopi, tametsi mentis impositionem ab Episcopis susceperunt, & ut Episcopi sunt consecrati, tamen placuit sanctæ Synodo, scire eos oportere, modum proprium retinere, ut gubernare adjacentes Ecclesias sibi commissas, & esse contentos propria solitudine & gubernatione, quam susceperunt. Constituire autem his permittitur, Lectores & Subdiaconos, atque Exorcistas, quibus sufficiat tantum graduum licentiam accepisse, non autem Presbyterum, aut Diaconum audeant ordinare, præter conscientiam Episcopi, vel Ecclesiæ cui adjacent inveniuntur. Similia habet Concilium Ancyranum cap. 13. citato, ubi dicitur, Chorepiscopis non licere Presbyteros vel Diaconos ordinare, sed neque urbis Presbyteris, nisi cum litteris ab Episcopo permissum fuerit.*

13 Ad tertium respondet Cominck, incertum esse, an tale privilegium verè à Sede Apostolica emanaverit; quia si reverà à Sede Apostolica emanasset, nullum debet esse dubium, quin eo semper uti fuissent Abbates Cistercienses, quando potuissent; quod vix credibile est eos fecisse: Primo, quia cum ille usus fuisset publicus, non potuissent ita vulgò omnes sapere, sicut latuit. Secundo, quia nulla est causa, cur illi Abbates, post Concilium Tridentinum, desissent eo privilegio uti; tum quia nullibi in toto Concilio ullo modo revocatur; tum etiam, quia tametsi tacite & implicite fuisset revocatum, tamen Concilium Tridentinum, quoad Decretum de reformatione, in Gallia, ubi Abbatia illa Ordinis Cisterciensis sunt constituta, non nisi in rebus paucissimis, idque satis recenter, fuit receptum. Addo ex Nugno, hic Quæst. 38. art. 1. in expositione articuli, versus finem, quod Magister Victoria refert se vidisse diploma Summi Pontificis, in quo concedit facultatem Abbatibus Ordinis Cisterciensis, ut possent conferre Ordinem Subdiaconatus suis subditis. Ubi nulla fit mentio Ordinis Diaconatus, sed tantum Subdiaconatus. Sed quidquid sit de hoc,

Respondeo, Quod si reverà tale privilegium à Sede Apostolica emanaverit, usus est Pontifex opinione quam probabiliorē existimavit, licet reverà sit minus probabilis: quamvis enim in materia mortum & sacramentorum, non liceat uti opinione probabili, in concursu alterius, quam probabiliorē existimamus (ut in

differtatione de probabilitate fidei ostendimus) bene tamen in concursu alterius, quæ creditur probabilior, licet reverà sit minus probabilis. Eadem solutione utitur Thomasz, in materia de voto solemnī, cum illis obijciat, Summum Pontifices pluries dispensasse in votis solemnibus, & fecisse de Monachis non Monachos.

Quærent hicaliqui, an Episcopus excommunicatus, hæreticus, aut degradatus, Ordinem conferre possit?

Respondeo posse illos conferre valide, quod vis illicitæ; ut enim in Tractatu de Sacramento in communi fuisse ostendimus, efficacia Sacramenti non pōdet à fide aut bonitate ministrantis, sed ex sola institutione & meritis Christi. Unde sicut Episcopus hæreticus, excommunicatus, suspensus, simoniacus, degradatus &c. valide consecrat, & Sacramentum Eucharistiæ vere conficit, si habeat intentionem consecrandi, & supra debitam materiam, formam præteritam & Ordines valide confert, si servet quæ in Ordinum collectione servanda sunt; & sicut claracter Episcopalis, per nulla scelera delicta potest ita nec potestas conferendi Ordines, per nullam Ecclesiasticam censuram & potestatem potest auferri. Quare per degradationem non auferuntur ab Episcopo potestas ordinandi, quam à Christo accepit, sicut nec à Sacerdote potestas Christi corpus & sanguinem consecrandi, sed dumtaxat talis potestatis usus ipsi prohibetur, inobtemperans illegitimus quidem, sed non invalidus redditur. Ex quo facile intelliges plura juris Canonici decreta, in quibus dicitur Episcopos simoniacos, excommunicatos, aut degradatos, non posse Sacramentum Ordinis conferre; hæc enim de potestate legitima intelligenda sunt, namque quæ peccato facere non possumus; fieri non potest dicuntur, & infra appellantur; & in hoc sensu intelligendum est illud D. Leonis Epist. ad Atholium, Episcopum Constantinopolitanum, quod refertur can. 68. i. quæst. 1. Extra Traditionem Dei, nec rata sunt Sacerdotia, nec rati facientes. His enim verbis (ut glossa explicat) solum declarare intendit, non esse rata Sacerdotia ab hæreticis collata, quoad rem Sacramenti, quæ est gratia, & licitum usum & executionem. Idem significare voluit D. Gregorius lib. 3. Epistolæ, cum dixit ordinatos ab hæreticis & excommunicatis, non consecrari, sed solummodo habere verum Sacramentum Ordinis, & characterem recipiant, gratia tamen sanctificante privantur, & gravi se inquinant peccato, eo ipso quod contra Ecclesiæ statuta, ab huiusmodi Episcopis scientes, & volentes, sacras ordinationes suscipiunt.

Dices, Damasus Epist. 4. ait, per illicitam mentis impositionem vulnerari caput suscipiens, & subdit: Reiterari necesse est, quod legimus in antiquo collatum minime probatur. Ergo censet ordinationem ab Episcopo hæretico, aut excommunicato, vel degradato factam, nedum esse illicitam, sed etiam irritam & invalidam.

Respondeo Damasum ibi solum agere de ordinatis à Chorepiscopis, quos negat esse veros Episcopos, & habere potestatem ordinandi. Unde non mirum, si ordinationem ab ipsometam, nedum illicitam, sed etiam irritam, & invalidam esse existimet, eamque necesse esse reiterari dicat.

ARTICULUS II.

Quinam sint capaces huius Sacramenti

Certum est, viros omnes baptizatos, & usum rationis habentes, esse capaces huius Sacramenti, dummodo aliquis irregularitate vel censurâ Ecclesiastica non sint impediti; unde solum difficultas est, an etiam feminae, catechumeni, & infantes, atque amentes, ad illud capacitatem habeant? Pro resolutione

Dico primo, solos viros esse capaces Sacramenti Ordinis, non vero feminas?

Conclusio est certa de fide, & constat ex perpetua & nunquam interrupta Ecclesiae traditione, neque ad Ordinis valorem iure divino requiri sexum virilem semper existimavit, & ut haereticos ac infames Pepsusianos habuit, qui teste Epiphonio haeresi 49. & Augustino haeresi 27. ordinabant mulieres in Sacerdotes, atque etiam, ut addit Epiphanius, in Diaconissas altaris, & Episcopas. Quem errorem jam pridem extinctum suscitavit Lutherus, teste Alphonso de Castro lib. 10. adversus haereses, verbo *Mulier*. Huius verò Ecclesiasticae traditionis certitudo deducitur primo ex facto Christi, qui cum in ultima Cena Discipulos ordinavit, nullam admisit feminam; sicut neque cum post resurrectionem potestatem absolventi à peccatis Apostolis contulit Joan. 20. Et sane si Christus femineum sexum ad Ordinem admisisset, Beatam Virginem cum Apostolis ordinasset; quandoquidem ipsa dignus quam illi tractare potuisset Sacramentum altaris. Injussit etiam Ecclesia totum sexum femineum Sacramento Ordinis privasset.

Varia etiam huius divinae institutionis asserti possunt congruentia. Prima, quam assignat Epiphanius loco citato, sumitur ex ipsa imperfectione sexus muliebris: *Mulier enim genus lubricum est, erronemque, ac intellectu humile praeditum*, & per illud Diabolus suum venenum universi generi humano propinavit.

Secunda Sacris Ordinibus annexum est munus publice docendi. Sed ex sententia Apostoli 1. ad Corinth. 14. Turpe est mulierem loqui in Ecclesia. Ergo etiam turpe esset eam sacrum Ordinum munus exercere.

Tertia quam asserti S. Thomas hic quaest. 39. art. 1. Sacramentum Ordinis gradus eminentiam significat. Sed in sexu femineo non potest eminentia aliqua gradus significari, quia mulier statum subjectionis habet. Ergo mulier non potest Ordinis Sacramentum suscipere.

Alia rationem assignat D. Bonaventura in 4. dist. 2. s. art. 2. quaest. 1. ubi ait quod in Sacramento Ordinis persona quae initiatur, significat Christum Mediatorem, cuius officio fungitur, juxta illud Apostoli 2. ad Corinth. 5. *Pro Christo legatione fungimur*: At Mediator fuit tantum vir, agitur solus vir est huius Sacramenti capax, cui haec mystica significatio ex Christi institutione annexa est.

Addit Epiphanius loco citato, quod cum nulla ab exordio mundi mulier legatur unquam sacrificium Deo obtulisse, siue inter fideles, siue inter infideles; & Deus in lege scripta ex solis viris Sacerdotes elegerit, & Levitas in ministerium altaris; lex Evangelica à fortiori id postulabat quoad sacrum Sacerdotium, & altaris ministerium.

Idem, V.

Trium tamen in contrarium, tanquam fundamenta suae haeresis, objeiebant Pepsusiani. Primum, quod tam in veteri quam in novo testamento feminae fuerint Prophetissae. Secundum, quod in primitiva Ecclesia erant Subdiaconissae, Diaconissae, Presbyterae, & Episcopae. Tertium, quod Apostolus ad Galat. 3. ait in Christo Jesu neque esse masculinum neque feminam.

Verum haec frivola sunt, & facile dissolvi possunt. **Ad primum** enim respondet S. Thomas art. citato ad 1. quod propheta non est sacramentum, sed Dei donum, unde ibi non exigitur significatio, sed solum res; & quia secundum rem, in his quae sunt animae, mulier non differt à viro, cum quandoque mulier invenitur melior, quantum ad animum, multis viris deo donum prophetiae, & alia huiusmodi potest recipere, sed non Ordinis Sacramentum.

Addo quod propheta per se primo non dirigitur ad praeminendum aliis in Ecclesia (sicut Ordinis Sacramentum, qui ordinatum constituit in quadam praeminentia supra alios) sed solum ad cognoscenda ea quae sunt supra hominis statum; unde per se non dirigitur ad alios docendos, sed ad perficiendum seipsum: quare licet donum prophetiae non repugnet sexui muliebris, Sacramentum tamen Ordinis mulierum videtur incongruum, cum praeminentia & potestas in viros ipsi non conveniat.

Ad secundum respondet idem S. Doctor ibidem in corp. articuli, quod in veteris sit quidem mentio de Diaconissa & Presbyterâ, sed Diaconissa ibi dicitur, quae in aliquo actu Diaconi participat, scilicet quae legit hominibus in Ecclesia: Presbyterâ autem dicitur vidua, quia Presbyter idem est quod senior.

Alia quoque significatione, Presbyterâ olim dicebantur, quae Presbyteris ante ordinationem sacram nupserant, & ab eis jam ordinatis, ex mutuo consensu, sponte fuerant separatae, sed eorundem curâ nutriendae; sicut Episcopissae vocabantur quarum maritus Episcopus factus fuerat, & similiter Diaconissae, quarum maritus ad Diaconatus ordinem assumptus erat, ut patet ex Concilio Alusiensi 4. can. 21. ubi sic statuitur: *Non licet Presbytero in uno lecto, post acceptam benedictionem, cum Presbyterâ sua dormire, neque in peccato carnali commisceri; neque Diacono, neque Subdiacono; cuius sua videlicet Diaconissa, vel Subdiaconissa, id est conjuge ante ordinationem ducta. Et in secunda Synodo Turonica sub Pelagio cap. 20. excommunicantur Presbyter, Diaconus, & Subdiaconus, qui inventi fuerint cum sua Presbyterissa, Diaconissa, vel Subdiaconissa. Quae de re plura Pamelius annot. 72. in librum Tertulliani de exhortatione ad castitatem.*

Ad tertium respondetur, Apostolum loco citato loqui de crimine inter virum & mulierem, quoad meritum, non vero quoad officium. **Dico** secundo, solos baptizatos esse capaces Sacramenti Ordinis, non vero Catechumenos.

Haec conclusio non minus est certa quam praecedens, cum enim Baptismus sit janua aliorum Sacramentorum, ante ejus susceptionem, homo nullius Sacramenti est capax; unde Catechumenus contrahendo matrimonium, non recipit gratiam sacramentalem quam hoc Sacramentum baptizatis causat; cum non sit capax matrimonii ut est Sacramentum, sed solum ut est contractus naturalis & civilis.

Dices primo, Catechumenus per fidem conjungitur Christo, & efficitur ejus membrum: Er-

R r

go

go redditur capax meritorum Christi, quæ per Sacramenta, ut per instrumenta passionis Christi, nobis communicantur.

Respondeo per solam fidem Catechumenum non fieri perfectè membrum Christi, nam hoc fit per unionem visibilem cum Ecclesia visibili, sed inchoativè tantum; subindeque nondum esse capacem eorum donorum, quæ Christus per Sacramenta à se instituta, voluit fidelibus, suæ Ecclesiæ actu visibilibus unitis, communicari.

24 Dices secundo: Lectores olim in Ecclesia Alexandrina indifferenter ex fidelibus & Catechumenis assumebantur, ut scribit Socrates lib. 5. tripartita Historia cap. 22. Sed Lectoratus est unus ex quatuor Minoribus Ordinibus: Ergo Catechumeni sunt capaces Sacramenti Ordinis.

Respondeo Socratem loco citato tantum significare voluisse, quod Ecclesia Alexandrina soleret assumere, non ad Ordinem, sed ad actionem Lectoris, & Psalmistæ, sive Catechumenos, sive baptizatos; cum tamen omnes alie Ecclesiæ, non nisi baptizatos assumerent.

25 Dico tertio, infantes esse capaces Sacramenti Ordinis. Ita communiter Theologi cum D. Thoma hic quasi. 39. art. 2. contra Durandum in 4. dist. 25. quæst. ubi affirmat rem valde dubiam esse, an pueri ante usum rationis valide possint ordinari. In cujus sententiam inclinare videtur Petrus Soto lib. de inst. Sacerdot. lect. 5. de Sacrament. Ordinis §. secundò etiam.

Hanc conclusionem probat D. Thomas art. citato tripliciter: Nam in argumento *Sed contra*, probat illam primò ex cap. unico *De Clerico per factum promoti*, ubi consultus Innocentius III. ab Episcopo Bononiensi, quid fiat ei qui Sacerdotium, Diaconatu prætermisso, accepit, Minoribus Ordinibus infra annos discretionis suscepit? Respondet, conferendum esse Diaconatum, nullà mentione factà de Subdiaconatu, & Minoribus Ordinibus, infra annos discretionis susceptis; quia nimirum iudicavit, eos fuisse valide collatos, alioquin iussisset cum Diaconatu repeti.

26 Secundo eam probat, quia alia Sacramenta in quibus character imprimitur, possunt pueri suscipere, videlicet Baptismum & Confirmationem: Ergo pari ratione & Ordines.

Nec valet si dicas, esse specialem rationem pro Sacramento Ordinis, cum enim in eius forma dicatur *Accipe potestatem*, requiritur acceptatio rei quæ traditur, subindeque consensus, cuius parvulus incapax est. Non valet, inquam, Tum quia simili modo dicitur infanti quando baptizatur solemniter, *Accipe sal sapientia, Accipe signum crucis Domini nostri Iesu Christi*: Tum etiam, quia potestas illa quæ per Sacramentum Ordinis datur, non traditur per modum contractus, donationis, aut pacti, ad quod requiratur acceptatio, sed per modum efficacis operationis, respectu cuius recipiens merè passive se habet: eodem modo quo per Baptismum confertur gratia & potestas participandi bonis communibus Ecclesiæ, recipiendi quæ alia Sacramenta. Unde si infans ordinaretur ab Episcopo, per hæc verba, *Accipe potestatem*, non invitaretur ad eam recipiendam moraliter & rationabiliter, sed significaretur potestas dantis, & vera traditio. Neque in Scriptura inusitatum est, simili modo loquendi significari aliquem effectum erga res etiam inanimatas, quæ in illum consentire nequeunt; ut quando Josue cap. 10. dixit ad li-

A stendum Solem: *Sol. & Luna* per Chanaan moventur; & cum Christus Matt. 22. dicitur calculeam: *Nunquam ex te fructus asparagorum piterunt.*

B Tertio D. Thomas in corpore quæstionum culi probat nostram conclusionem, hoc dicitur: *Sacramenta quæ non in actu sed in potestate conferuntur, conferri possunt ante usum rationis, etiam infanti; ideo enim Baptismus & Confirmatio possunt conferri sine actu parvuli baptizandi & confirmandi, quia conferuntur in potestate, nequeunt sine actu penitentis & contriti conferri, quia conferuntur in actu, seu quia de illorum essentia est aliquis actus, ut contritio, & confessio in Sacramento penitentia, & consensus in matrimonio: Atqui Sacramentum Ordinis, non in actu, sed in potestate conferuntur ex eius definitione constat, neque de illius essentia est aliquis actus, puta acceptatio potestatis quæ per illud traditur, ut patet ex supra dictis: Ergo conferri potest ante usum rationis: actum, sed indeque parvulo, licet sit incapax consensus. Idem dicendum de amentis, quibus illo par ac de infantibus est ratio, cum sit perpetuo infans & parvulus sensu.*

C Motiva Durandi in contrarium levissima sunt, & ad duo præcipua capita reducuntur: Unum enim in primis, absurdum videri quod parvulus carens omnino usu rationis, possit dici esse Sacerdos vel Episcopus; alia enim erit eorum capax papalis potestatis, & poterit similiter dici & esse Summus Pontifex.

Deinde sic arguit: Ad receptionem capax Sacramenti requiritur propria intentio recipientis, si sit adultus, vel interpretativa, si sit parvulus, qualis est intentio parentum in Baptismo, sicut in parvulorum, sed in parvulis ordinatur de facto, non potest esse propria voluntas suscipiendi Ordinem, cum non habeat usum rationis; nec interpretativa, cum enim Sacramentum Ordinis non sit, sicut Baptismus, de necessitate salutis, voluntas parentum non sit, quoad eius susceptionem, voluntas filiorum interpretative: Ergo parvulus est incapax recipiendi Sacramentum Ordinis.

D Ad primum, nego Antecessens, nullum quippe est absurdum, infantem Presbyterum denominari, cum hæc denominatio non sit ab actu, sed a potestate, per externum symbolum infanti collata; sicut dicitur rationalis, licet nullum rationis actum exercere possit, & fidelis ab habitu fidei per Sacramentum Baptismi infuso.

E Quantum verò ad Episcopatum dico, duo esse in illo distinguenda, nimirum extensionem physicam characteris Sacerdotalis, & potestatem jurisdictionis, sive curam pastorem animarum, & matrimonium spirituale cum Ecclesia, cuius gubernationem suscipit; primum potest conferri infanti, non verò secundum, illud consensus & libertatem necessarios præsupponit, non verò illud. Quo sensu intelligendus est D. Thomas, dum articulo supra citato ait esse de necessitate consecrationis Episcopalis, quod consecrandus usum rationis habeat, requiritur enim ibi de potestate jurisdictionis, non verò de extensione characteris.

Quantum ad dignitatem & potestatem papalem, nego infantem esse illum capax, quia de facto Deus non confert hanc potestatem, nisi per-

persona quam Ecclesia ut idoneum ad hoc munus elegerit: repugnat autem quod Ecclesia, a Spiritu sancto directa, eligere possit infantem; & si per impossibile ipsum eligeret, talis electio, utpote legi ac iuri naturali repugnans, esset nulla. Adde quod potestas papalis, quæ est omnium suprema, est potestas mystici capitis iugiter influentis in membra totius Ecclesiæ, per directionem & gubernationem, & dogmatum fidei propositionem: repugnat autem quod infans influat per modum mystici capitis in membra Ecclesiæ, cum hic influxus debeat mediâ regularationis, quâ infans caret, in membra derivari.

33 Ad secundum, nego Majorem; falsum enim est, parvulis ad recipienda Sacramenta quorum sunt capaces, ut Baptismum, Confirmationem, & Eucharistiam, necessariam esse intentionem, sive ipsorummet, sive parentum, aut Ecclesiæ pro ipsis consentientis, & ejus voluntas sit interpretative voluntas ipsorum parvulorum: Neque enim Baptismus v.g. illis applicatus, idcirco validus est, quia Ecclesia vel parentes consentiunt ipsorum nomine; sed quia institutio Christi, nihil aliud requirit ad ipsius valorem respectu parvulorum, nisi ut ipsis applicetur materia & forma Baptismi, cum intentione debita; unde puer valide baptizaretur, tamen si parentes reniterentur. Idem cum proportionem dicendum de Sacramento Ordinis; nam renitentibus etiam ipsis parentibus, illud valide ab infante recipere, si Episcopus debitam materiam & formam ipsi applicaret. Non teneretur tamen talis parvulus, cum ad annos discretionis pervenisset, in Ordine sibi in infantia collato perseverare, sed posset illi renuntiare, & matrimonium contrahere; cum non potuerit Ecclesia illum ad votum continentiae obligare, independentem ab ejus voluntate.

ARTICULUS II.

An celibatus lege divinâ, vel tantum Ecclesiasticâ, sacris Ordinibus sit annexus, talisque lex iusta & conveniens sit, & a temporibus Apostolorum in Ecclesia viguerit?

34 Pro intelligentia & resolutione hujus difficultatis, notandum est, legem celibatus ad duo obligare; primum est, ut omnis conjugatus qui sacris Ordinibus initiatur, perpetuam servet continentiam; secundum, ut non conjugatus postquam aliquem ex sacris Ordinibus suscepit, uxorem non ducat. Oportet ergo primò, an Lex Divinâ, vel solum Ecclesiasticâ, celibatus quoad hæc duo annexus sit sacris Ordinibus? Secundò, an supposito quod talis lex sit purè Ecclesiastica, rectè & convenienter ab Ecclesia constituta fuerit, & quo tempore?

35 Quoad primum Franciscus Turreanus lib. 2. de dogmaticis characteribus, contendit jure & præcepto divino obligari eos qui post contractum matrimonium susceperunt sacros Ordines, non uti amplius conjugio; multoque magis teneri eodem jure divino non contrahere matrimonium, post sacrum Ordinem susceptum. Joannes verò Major, Michaël Medina, & Clitoveus, Doctor Parisiensis, negant quidem Clericos ante sacros Ordines conjugatos, teneri post eorum suspensionem jure divino ad continentiam servandam, sed affirmant divinâ lege

vetitum esse sacris hominibus post Ordines matrimonium contrahere.

Quantum ad secundum, Græci Schismatici Ecclesiam Latinam reprehendunt, quod ordinarum post conjugium jubeat ab uxoris separari, & amplius non vacare conjugio. Hæretici verò hujus temporis in eo quidem cum Græcis Schismaticis conveniunt; sed ulterius addunt, male & injustè ab Ecclesia statutum fuisse, ut illi ipsi qui jam sacris Ordinibus initiati sunt, non possint contrahere matrimonium, talemque legem dicunt repugnare antiquis Conciliis, & à solo Papa fuisse sancitam; imò non nisi à quadringentis annis in Germania introductam.

S. I.

Prima pars quaestii duplici conclusione resolvitur.

Dico primò, conjugalis usus cum uxoris ante sacram ordinationem ductis, non est prohibitus sacris hominibus, jure divino, sed tantum Ecclesiastico. Ita D. Thomas 2. 2. quæst. 88. art. 1. in corp. ubi hæc scribit: *Non est essentialiter annexum debitum continentie Ordini sacro, sed ex statuto Ecclesiæ; unde videtur quod per Ecclesiam possit dispensari in voto continentie, solemnizato per suspensionem sacri Ordinis.* Quibus verbis rationem fundamentalem nostræ conclusionis insinuat: Ecclesia enim non potest dispensare in his quæ sunt de jure divino, imò nec tolerare aliquid lege divinâ prohibitum: Sed Ecclesia dispensat cum Græcis, & permittit, ut susceptis Ordinibus Majoribus maneant in usu matrimonii antea contracti, vel saltem talem Græcorum consuetudinem tolerat, nec damnat ut legi divinæ adversam: Ergo conjugalis usus cum uxoris ante sacram ordinationem ductis, non est prohibitus sacris hominibus jure divino, sed tantum Ecclesiastico. Major patet, Minor probatur ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. 14. ubi contra continentiam Clericorum sic legitur: *Qui autem secundum regionis suæ morem non abdicarunt copulam (id est Græci Sacerdotes) si lapsi fuerint, gravius puniuntur, cum legitimo matrimonio uti possint.* Et in cap. Cum olim, de Clericis conjugatis, idem Pontifex hæc scribit: *Nos igitur attendentes, quod Orientalis Ecclesia votum continentie non admittit; quoniam Orientales in Minoribus Ordinibus contrahunt, & in superioribus utuntur matrimonio contracto.* Ubi hic Græcorum mos à Pontifice non improbat. Similiter neque in Concilio Lugdunensi, neque in Florentino, nullo modo Græcis obiectum legimus, quod Sacerdotes eorum uterentur conjugio ante sacram ordinationem contracto, & continentie legem non servarent, sicut servatur in Latina Ecclesia: Ergo Ecclesia dispensat cum Sacerdotibus Græcis ut utantur conjugio ante sacram ordinationem contracto, vel saltem talem usum & consuetudinem Græcorum non improbat, sed permittit, quam tamen tolerare non posset, si jure divino repugnaret.

Confirmatur primò: Gregorius Magnus lib. 1. Registri Epist. 42. permittit Subdiaconis Siciliae uti uxoris ante ordinationem ductis, quamvis in posterum tales ordinari vetuerit, nisi una cum uxoris continentiam promitterent. At hoc non permisisset, si jure divino prohibitum esse intellexisset: Ergo jure solum Ecclesiastico tenentur illi qui Majoribus Ordinibus sunt

Rrr 2

juncti

juncti, non uti amplius matrimonio iam ante contracto.

39 Confirmatur secundò: Ecclesia multis canonibus statuit, ut votum continentiae ab ordinandis sacris Ordinibus exigatur: At si iure divino annexa esset sacris Ordinibus continentia, non esset ex parte ordinandorum necessarium votum, aut lex Ecclesiae, ad eam illos obligans: Ergo continentia iure tantum Ecclesiastico Ordinibus sacris annexa est.

40 Confirmatur tertio: Nullum extat praeceptum divinum de hac re in Scriptura, vel Traditione, ut constabit ex solutionibus objectionum; neque ex lumine naturali colligi potest, quamvis enim ratio naturalis dicat, esse valde congruum quod sacri homines abstineant ab usu matrimonii, non tamen dicat esse necessarium; alias peccassent Sacerdotes legis antiquae, habendo uxores: Ergo usus conjugii sacris hominibus iure tantum Ecclesiastico prohibitus est.

41 Dico secundò, similiter iure solum Ecclesiastico prohibitum esse contrahere matrimonium iis omnibus, qui Majoribus Ordinibus initiati sunt. Est etiam D. Thoma in 4. dist. 37. quaest. 1. art. 1. in corp. ubi haec scribit: *Ordo sacer de sui ratione habet ex quadam congruentia quod matrimonium impedire debeat, quia in sacris Ordinibus constituti, sacra vasa & sacramenta tractant, & ideo decessus est, ut maritalis corporalem per continentiam servent: Sed quod impedit matrimonium, nisi ex constitutione Ecclesiae habet tamen aliter apud Latinos, quam apud Graecos, quia apud Graecos impedit matrimonium contrahendum, solum ex vi Ordinis; sed apud Latinos impedit ex vi Ordinis, & ulterius ex voto continentiae, quod est Ordinibus sacris annexum; quod etiam si quis verbo tenus non emittat, ex hoc ipso quod Ordinem suscepit, secundum ritum Occidentalis Ecclesiae, intelligitur emisisset, & ideo apud Graecos & alios Orientales, sacer Ordo impedit matrimonium contrahendum, non tamen matrimonij prius contracti usum; possunt enim matrimonio prius contracto uti, quamvis non possint matrimonium de novo contrahere; sed apud Occidentalem Ecclesiam impedit matrimonium, & matrimonij usum. Quibus verbis sanctus Doctor hanc & praecedentem conclusionem aperte docet, & egregie illustrat.*

Ratio etiam suffragatur: Scenim matrimonium iure divino pugnet cum sacris Ordinibus non posset Pontifex dispensare, ut sacris Ordinibus initiatus, nubere: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Sequela Majoris patet, Pontifex enim non habet potestatem dispensandi in iure divino. Minor verò probatur, tum ex praxi Ecclesiae, quae pluries in hoc dispensavit, tum ex D. D. Thoma 2. 2. quaest. 88. art. 1. qui etsi id negat de religioso professo, concedit tamen de Presbytero. Nec valet si dicas, quod cum Ecclesia dispensat ut sacri Ordinibus initiatus nubat, privat illum exercitio sui ministerij. Nam licet Ecclesia regulariter id praestet, interdum tamen eos sacri Ordinis ministerio relinquit, ut constat ex Concilio Ancyrano, celebrato ante Nicenum, & approbato à Leone I V. in cuius canone 10. sic habetur: *Diaconi quicumque ordinantur, si in ipsa Ordinatione protestati sunt, & dixerunt, vel se conjugio copulari, quia sic manere non possunt, in ministerio manent, propterea quod eis Episcopus licentiam dedit.*

42 Potest insuper suaderi ista conclusio, ex dictis in praecedenti; si enim usus matrimonij non sit iure divino prohibitus Clericis, sacris Ordini-

bus initiatis (ut constat exemplo Graecorum, qui licet utuntur matrimonio ante sacri Ordinationem inito) multò minus ipsum matrimonium; matrimonium enim non prohibetur sacris hominibus, ratione contractus, qui boni & sacramentalis, sed ratione usus, qui solus & statu sacrorum hominum. Unde Tridentinum sess. 24. can. 9. manifestè significat iuramentum Ecclesiastici esse, quod Majoribus Ordinibus initiati matrimonium contrahere nequeant, cum sic ait: *Si quis dixerit Clericis in sacris Ordinibus constitutis, vel religiosi castitatem plene profectos, posse matrimonium contrahere, contrariumque validum esse, non obstante lege sacrosancta, vel voto, &c. anathema sit.*

§. II.

Solventur objectiones.

Contra primam conclusionem plura congerit Tisserianus Scripturae & 88. Patrum testimonia, quae ne apparenter quidem probent id quod intendis unde miratur Vazquez, illi ipsum adduci potuisse in sententiam omnium Theologorum contrariam, dicitque ut eum excuset, nimio castitatis, cuius erat amarissimus, & lo accensum, existimasse id quod ardentius piebat, nimirum ex quolibet Scripturae & Patrum testimonio id expresse colligi. Aliquam men proponit ex Patribus testimonia, quae quid habent apparentia, ea praecipue quae Syricio Papa Epist. 1. ad Himerium Tarraconensem Episcopum cap. 7. ex Epiphano haer. 59. & ex Eusebio Caesariensi lib. 1. de demonstratione Evangelica cap. 9. adducit: Verba Syricii haec sunt: *Domine Iesus cum suo nos illud ad adventu, in Evangelio protestatur, quia legem non implere, non solvere. Et ideo Ecclesiam, caput fons est speciosus formae, castitatem voluit splendorem, ut in die iudicii, cum vultus adveniret, sine macula & ruga eam posset, sicut per Apostolum sanxit, tuit, reperire. Quorum sanctionem Sacerdotes omnes atque Levites, insolubili lege constringunt, ut ad ordinationis nostrae, sobrietati ac pudicitiae, & castitatis mancipemur & corpora. Epiphanius vero loco citato sic habet: *Re vera non suscipi sancta Dei predicatio, post Christi adventum, qui ante prius mortuam eorum uxorem secundum apostoli conjuncti sunt &c. Sed & adhuc viventem & iterum genitrem unius uxoris virum non suscipi in Diaconum, Presbyterum, Episcopum &c. Denique Eusebius citatus ait, secundum leges novi testamenti debere sacris initiatis ab uxore abstinere: At leges novi testamenti, sunt leges Christi & Divinae: Ergo iure divino sacris Ordinibus initiati tenentur ab usu conjugii.**

Verum haec levia sunt, verba enim Syricii non plus probant, quam continentiam ministeriorum Ecclesiae esse secundum Christi voluntatem & beneplacitum, qui voluit Ecclesiam Evangelicam castitatis splendore radiare; & esse portam ex institutione seu constitutione & praecepto Apostolico, lato secundum Christi beneplacitum & intentionem, ut significant verba illa Syricii sicut per Apostolum suum instituit. Epiphanius vero nomine sanctae Dei praedicationis, intelligit praedicationem legis non Evangelicam, sed Ecclesiasticam, quam ideo vocat, hoc nomine, quia simul cum lege Evangelica, live cum lege Dei

ab Apostolis predicata fuit. Similiter Eusebius, per leges novi testamenti, intellexit leges non à Christo latas, sed ab Ecclesia vel Apostolis traditas in novo testamento. Quas interpretationes legitimas esse, & ad mentem illorum, colligitur manifeste ex eo, quod eodem modo loquantur de lege prohibente personis sacris usum conjugii, ac de lege arcente bigamos à Sacerdotio, ut constat ex verbis istis Epiphani suprà relatis: Non suscipit sancta Dei pradicatio post Christi adventum eos qui mortuæ eorum uxore secundæ nuptiæ conjuncti sunt: At lex quæ bigamos non admittit ad Sacerdotium, est purè Ecclesiastica, ut docent communiter Theologi, & articulo sequenti ostendemus: Ergo illi censent legem prohibentem personis sacris usum conjugii, non esse divinam, sed purè Ecclesiasticam.

46 Plura etiam contra primam conclusionem proponit Turrianus argumenta, inter quæ istud præcipuum est: Sacerdotes & Levitæ veteris testamenti, jure divino prohibebantur ab uxori- bus abstinere tempore suæ vicis: Ergo à fortiori Sacerdotes & Levitæ novi testamenti jure divi- no tenentur totâ vitâ continentiam servare. Nam idem illi jure divino tenebantur tempore suæ vicis continentiam servare, quia eo tempo- re divina mysteria tractabant, quæ hanc animi & corporis puritatem exigebant: At Sacerdotes & Levitæ novi testamenti, toto vitæ tempore tractant divina mysteria: Igitur toto suæ vitæ tempore, jure divino tenentur continentiam servare.

Confirmatur: Lex divina prohibens Sacer- dotibus & Levitis veteris testamenti ab uxori- bus tempore suæ vicis abstinere, non fuit cere- monialis, aut judicialis, sed moralis, fundata in virtute religionis & sanctitate, quam sacrosan- cta mysteria in ministro prærequirunt: Ergo non cessavit in lege Evangelica.

47 Ad objectionem, concessio Antecedente, ne- go Consequentiam, nam de Sacerdotibus & Le- vitis veteris testamenti, habemus plura Scriptu- ræ loca, quibus Deus jubet eos ab usu matrimo- nii abstinere, tempore suæ vicis: de Sacerdoti- bus autem & Levitis novi testamenti, nullum legitur in Scriptura testimonium, quo idem eis præcipiatur: imò plures in oppositum sunt Con- ciliiorum & Patrum auctoritates supra addu- ctæ. Nec refert quod Dei præceptum respectu Sacerdotum & Levitarum veteris testamenti sit morale, & fundatum in ipsa virtute religionis, & puritate quam in ministris sacrosancta myste- ria requirunt; nam hæc solum convenientiam & congruitatem, non necessitatem indicant; cum nullam ex natura sua indecentiam, cultui divino repugnantem, usui matrimonii habeat; & quamvis aliquam haberet, ex hoc solum pos- set colligi, teneri jure divino sacros homines ab usu conjugii abstinere eo tempore quod sunt altari ministraturi; quo etiam tempore Græci, exemplo Sacerdotum & Levitarum veteris tes- tamenti, ab uxori- bus abstinere. Per quod patet ad Confirmationem.

48 Contra secundam conclusionem objicit pri- mò Michael Medina: Concilia & Patres ajunt, carnalia conjugia esse sacris hominibus prohi- bita, quia sunt personæ Deo consecrata, non mi- nus quam vasa sancto chrismate delibuta: Ergo sicut ex natura ipsa benedictionis sive consecra- tionis calicis, provenit, quod ad alios usus defer- re nequeat; ita & ex ipsa Ordinum sacrorum

Tom. V.

A natura, sine institutione, non verò præcisè ex prohibitione Ecclesiæ provenit, quod sacris Or- dinibus initiatis non liceat matrimonia contra- here.

Secundò, Longè gravior poena olim impone- batur iis qui post susceptos sacros Ordines cele- brabant matrimonia, quam qui antea contracto utebantur; quod signum est, majus esse peccae- rum, Sacerdotum post suspensionem Ordinis matrimonium contrahere quam contracto an- te sacerdotium, ut in ipso sacerdotio; & conse- quenter illud quidem esset tantum contra legem Ecclesiasticam, sed illud adversari legi divine.

B Confirmatur: Prior transgressio puniebatur excommunicatione, quæ antiquis sæculis, non nisi in violatores divini juris vibrabatur.

Tertiò, Græcis etiam indultum sit, ut possint uti matrimonio ante sacram Ordinationem contra- cto, nunquam tamen cum illis dispensatum est, ut post susceptos sacros Ordines possint uxores ducere. Quod non leve signum est, in hoc Ec- clesiam dispensare non posse, subindeque esse al- tioris juris quam humani.

C Ad primum, nego suppositum consequentis, nimirum quod præceptum prohibens usum pro- phanum calicis consecrati, sit divinum, est enim tantum Ecclesiasticum, sicut ipsa calicis conse- cratio; unde sicut Ecclesia potest urgente aliqua necessitate dispensare, ut vasa Deo consecrata, ad prophanos usus applicentur; ita & cum sacro homine ad contrahendum matrimonium.

Ad secundum respondeo majus esse pecca- tum eorum qui post Ordines susceptos matrimo- nium contrahunt, & eo sic contracto utun- tur, quam sit peccatum illorum qui ante susce- ptionem Ordinum conjugati, his susceptis, à conjugio non abstinere, licet neutrum sit jure di- vino prohibitum, sed tantum Ecclesiastico; ac proinde mirum non esse, quod major poena ab Ecclesia statuta fuerit pro peccato illorum, quam pro peccato istorum.

D Ad confirmationem dico, propter transgres- sionem legis Ecclesiasticæ, poenas etiam depo- sitionis, excommunicationis, & alias ejusmodi, esse statutas ab ipsa Ecclesia, ut ex ejus canonibus constet.

Ad tertium respondetur, quod licet præcep- tum de non contrahendo post sacros Ordines matrimonio, sit tantum Ecclesiasticum, sicut & præceptum de non utendo matrimonio ante sa- cros Ordines contracto; Ecclesia tamen Spiritu sancto ducta, prudenter judicavit & voluit, in favorem matrimonii jus suum possidentis, cum Græcis dispensare in usu matrimonii antea contra- cti, non autem in matrimonio contrahendo.

§. III.

E Alia difficultas expeditur, & legem calibath rectissi- mam & utilissimam esse, & à temporibus Apo- stolorum in Ecclesia viguisse, contra hereticos ostenditur.

Dico tertiò, rectè & justè ab Ecclesia statu- tum fuit, ut sacris Ordinibus initiati conti- nentiam servarent.

54 Probatur primò argumento à minori ad ma- jus: Olim in antiqua lege, qui res multò minus sanctas, quam sit ministerium sacrum novi testa- menti, tractaturi erat, jubebantur ab uxori- bus abstinere, nam exodi 19. cum legem Israël ita accepturi

Rrr 3

accepturi

accepturi essent, prohibiti sunt ne suis uxoribus appropinquarent. Et 1. Regum 21. David & comites non fuerunt admissi ad panes propositionis, nisi protestarentur se a mulieribus continuisse. Ex quo D. Hieronymus in cap. 1. ad Titum recte colligit, perpetuam debere servare continentiam nostros Sacerdotes, qui corpus Christi, illis panibus significatum, iugiter consecrant, edunt, & ministrant, ac filium Virginis, & Virginum sponsum, atque omnis puritatis fontem, quotidie manibus attingunt. Similia habet lib. 1. contra Iovinianum num. 21. ubi expendens verba illa Abi nelec Sacerdotis, Davidem sic interrogantis, *Si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus* Subdit: Panes enim propositionis, quasi corpus Christi, de uxorum cubilibus consergentes, edere non poterant. Item Exodi 12. qui comesturi erant agnum paschalem, jubebantur renes accingere, id est voluptates carnis edomare, ut exponit D. Gregorius homil. 22. in Evangelia. Demum Sacerdotes per vices ministrantes in tabernaculo, toto tempore vicis suae, a domo & ab uxoribus abesse debebant, ut colligitur ex 1. Paralip. 24. & ex Luca 1. Ergo iustum & conveniens est, ut Sacerdotes nostri, perpetuo vacantes sacro ministerio, perpetuo servant continentiam, ut recte arguit Innocentius I. Epist. 9. ad Victorium Rothomagensis Episcopum: *Quid dignum (inquit) & pudicum & honestum est, tenere Ecclesia omnino debet, ut Sacerdotes & Levitae cum uxoribus suis non coeant, quia ministri quotidiani necessitatibus occupantur: Scriptum est enim, sancti estote, quia ego sanctus sum Dominus Deus vester. Nam si priscis temporibus de templo Dei Sacerdotes anno vicis suae non discedebant: quanto magis hi Sacerdotes vel Levitae pudicitiam ex vi ordinationis suae servare debent; nec praeterit dies, quae vel a sacrificiis divinis, vel a Baptismatis officio vacent.*

Admittit Calvinus lib. 4. instit. cap. 12. num. 25. hanc continentiam legem in Sacerdotibus & Levitis Moisaicae legis, negat in Evangelicis; quia illi (inquit) Christum representabant, qui mediator Dei & hominum perfectissimam suam puritatem reconciliaturus Patrem nobis erat: hanc autem personam quia non representant Evangelici Ministri, falso cum illis comparantur.

Sed haec frivola prorsus ac futilia sunt, Tum quia non solum ob Christi representationem, sed etiam, imo magis, propter sanctitatem sui ministerii, ut nimirum purius eo fungerentur, debebant Sacerdotes legis Moisaicae, tempore sui ministerii, sese ab uxoribus continere. Tum etiam, quia falsum est, Sacerdotes novi testamenti non representare Christum, eum enim, non quidem ut futurum, sed ut praesentem significant, imo non solum Christi personam representant, sed ipsius vice funguntur 2. ad Corinth. 5. pro Christo legatione fungimur, eiusque personam in sacrificando sustinent, dicentes in eius nomine, *Hoc est corpus meum*. Maior ergo in Sacerdotibus Evangelicis requiritur animi & corporis puritas, quam in antiquis Sacerdotibus & Levitis, qui personam Christi imperfecte adumbrabant, nec erant ipsius Legati & Vicarii, sicut Sacerdotes novae legis, sed ejus duntaxat umbra & figura.

Probatur secundo conclusio: Conseruendo conjugal impedimento est ne sacri Ministri recte officio suo fungantur: Ergo recte & iuste

ab Ecclesia statutum fuit, ut illi continentiam servant, ac celibem vitam ducant. Contingentia patet, Antecedens probatur. Antecedens, nempe sacrificare, & orationi ac contemplationi vacare: At consuetudo conjugalis his duobus adibus non mediocriter contrahit primo quidem, nam cum sacrificium altaris gustissimum & sanctissimum sit, decet ut qui illud offerunt, insigni quadam puritate & sanctitate mentis & corporis polleant a alieno, quia aqua conjugalis mentis aciem laborat, & ab oratione & rerum divinarum contemplatione animum averit ac distrahit. Unde Theophrastus (teste D. Hieronymo) dicebat, non expedire sapienti nubere. Et Apostolus 1. ad Corinth. 7. suadet idcirco conjugium continentiam ad tempus, ut melius vacent orationi. Cum ergo Sacerdotes Evangelici debeant semper orationibus & sacrificiis offerendis incumbere, semper debent a conjugio abstinere.

Dico quarto, legem de celibatu sacrorum ministrorum, antiquissimam esse, & ab ipso Apostolis inductam & constitutam.

Probatur primo ex verbis illis Apostoli ad Titum 1. Oportet Episcopum continentem esse: notat autem Bellarminus, Apostolum non solum usum nomine *Castum*, quod etiam conjugis legitimis suis uxoribus utentibus, convenit, sed nomine *continentem*, quod importat abstinentiam etiam a conjugalimplexu, ut Hieronymus ibi exponit dicens: *Continentem adhibere, nempe ab uxore etiam amplexibus.*

Probatur secundo ex Epistola 2. Clementis ad Jacobum fratrem Domini, in qua inter alia monita B. Petro libi data, hoc recenseat: *Ut ad Dominica Mystra tales eligantur, qui ante ordinationem suam, conjuges suas noverint (mendaces legitur, non noverint) Quod si post ordinationem Ministro altaris contigerit, proprium invadere tabile uxoris, sacrarium non intret limina, nec sacrificii portitor fiat, nec altare contingat, nec de hostiis holocausti oblationem suscipiat, nec ad Dominici corporis portationem accedat, nec aquam Sacerdotibus porrigat ad manus. Quamvis autem non sit certum, hanc Epistolam esse Clementis, tamen antiqua est, & in hac parte usque totius Ecclesiae probata, ut ex testimoniis omnium fere antiquorum Conciliorum & Patrum ostendit Bellarminus lib. 1. de Clericis cap. 19.*

Probatur tertio ex Concilio Carthaginiensi secundo can. 2. ubi sic dicitur: *Omnibus placuit, ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui sacramento continent, pudicitiae custodiant, etiam ab exoribus, se abstineant; ut quod apostoli docuerunt, ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.* Unde de Soto lib. 7. de iustitia, hac Aratoris, Ecclesia in Pontificibus suis pudicitiam commendans, carmina refert:

*Ecclesiae nunc alma fides sine fide pudicitiae,
Pontifices jubet esse suos, &c.*
Cui etiam quadrat illud Hieronymi lib. 1. contra Vigilantium: *Quid facient Orientis Ecclesia, quid Aegypti, aut Sedes Apostolica, quae servitutes Clericos accipiunt, aut continent, aut sacra habuerunt, asserunt esse mariti, nempe quod usum conjugalem. Arguit contra Vigilantium haereticum, qui virginitatem & pudicitiam ab Ecclesia Christi abegandam esse contendebat.*

Ad pleniorē huius conclusionis intelligentiam, quædam brevier hic observanda sunt. Primum est, Subdiaconatum non habuisse semper annexam obligationem continentie, & votum servandæ castitatis, quia in primitiva Ecclesia inter Ordines sacros non computabatur, ut docet Innocentius III. cap. A multis. de atate & qualitate ordinandorum, ubi refert tempore Urbani II. Subdiaconatum non fuisse inter Ordines sacros connumeratum, quod decretum tantum Urbanus I. refertur can. Nullus in Epist. dist. 60. ubi Pontifex sacros (inquit) ordines dicimus Diaconatum & Presbyteratum; hos siquidem, solos primitivè legimus habuisse Ecclesia. Fuisse autem illi continentie votum annexum tempore Gregorij Magni, constat ex can. Ante triennium, dist. 31. in quo mandat Pontifex, ut Subdiaconi Ecclesiarum Siciliæ, more Romanæ Ecclesiæ, continentiam servent. Quod prius statutum fuerat in Concilio Eliberitano can. 3. ubi sic dicitur: Placuit in totum prohibere Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, abstinere se a conjugibus suis.

Secundò notandum est, quod licet ab initio Diaconis, Presbyteris, & Episcopis prohibitum fuerit matrimonium contrahere, non fuit tamen propterea matrimonium ab illis contractum ab initio irritum, sicut nunc est iure Ecclesiastico, ut colligitur ex canone 10. Concilij Ancyran, ubi solum dicitur, Diaconos, qui professi continentiam in ordinatione, postea matrimonium duxerint, debere a ministerio cessare, non autem debere ab uxoribus separari, eisque permittitur communio laica: At si tale matrimonium fuisset invalidum, debuissent ab uxoribus, sive potius a concubinis separari; nec ipsis in tali matrimonio seu potius concubinato manentibus, permitti potuisset communicatio laica: Ergo tale matrimonium tunc non erat iure Ecclesiastico irritum, sicut modò. De quo fuscè Basilii Pontius lib. 7. de matrimonio cap. 27.

Tertiò sciendum est, viduas quæ tempore Apostolorum eligebantur, ut velut Diaconissæ ministrarent Ecclesiæ, fuisse obstrictas voto castitatis, ut colligitur ex Apostolo 1. ad Timotheum 5. ubi præcipi non eligi iuniores; quia cum luxuriant fuerint in Christo (id est cum bonis Ecclesiæ ad proprium usum abutentes, lautiùs se nutriverint, & quod facile ex eo sequitur, ad lasciviam stimulos sentire ceperint) nutrire volunt: habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, id est promissionem Deo factam de servanda continentia violaverunt. Unde Augustinus in Psalm. 75. ad illud versum, Vovete & reddite Domino Deo vestra, hæc scribit: Quisque quod vovere voluerit voverit, sed illud attendat, ut quod voverit reddat, &c. Quid autem ait (Apostolus) de quibusdam quæ voverunt & non reddiderunt? Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Quid est primam fidem irritam fecerunt? Voverunt, & non reddiderunt.

Denique observandum est, legem de servanda continentia à sacris hominibus, fuisse in Ecclesia Latina continè servatam, ut nunquam ab ea deviare licitum fuerit, secus in Græca, in qua talis lex fuit abrogata, & permissum est ministris altaris, cum propriis uxoribus consuetudinem habere. Quando verò lex illa in Ecclesia Græca abrogata cepit, & licitum esse uxoris usus, qui ante sacram ordinationem matrimonio copulati erant, dubium & incer-

tum est. Aliqui putant, eam primò fuisse abrogatam in Concilio Ancyrano, celebrato ante Nicænum, & approbato a Leone IV. idque colligunt ex quadam historia quam refert Socrates lib. 1. cap. 8. quod volentibus Nicæni Concilij Patribus statuere ut sacris initiati abstinerent ab uxoribus quas ante ordinationem duxerant, quidam Monachus, nomine Paphnutius, qui huic Concilio intererat, se opposuit ne talis lex ferretur; idque à Patribus obtinuit. Verum hoc valde incertum est, tum quia historia illa à multis rejicitur ut apocrypha; tum etiam quia D. Epiphanius, qui post Concilium Nicænum floruit, hæresi 59. sic ait: Ecclesia adhuc viventem & liberos gignentem unius uxoris virum non suscipit, sed eum qui se ab unica continuit, aut in viduitate vixit, Diaconum, Episcopum, & Presbyterum, & Hypodiatum non suscipit, maxime ubi sinceri sunt canones Ecclesiastici. Et mox ubi jungit: At dices mihi, in aliquibus locis liberos gignere Presbyteros, Diaconos, & Hypodiatos. At non est (inquit) iuxta canonem, sed iuxta hominum mentem, quæ per tempus clavigat. Item Hieronymus supra relatus testatur quod suo tempore Orientalis Ecclesia, aut Virgines Clericos accipiebat, aut continentes, vel si uxores habuissent, mariti (quoad actum conjugalem) esse desistebant. Sed quidquid sit de hoc, certum est, tempore sextæ Synodi, inceptæ sub Agathone, & abso-
C
pta sub Leone II. anno 683. in Ecclesia Græca licitum fuisse conjugalem usum iis qui ante sacram ordinationem uxores duxissent, ut constat ex canone 13. in quo sic dicitur: Quoniam Romana Ecclesia pro canone traditum esse cognovimus, ut promovendi ad Diaconatum vel Presbyteratum, prostreantur se non amplius suis uxoribus conjugendos; nos antiquum canonem Apostolorum perfectionis ordinisque servantes, hominum qui sunt in sacris, legitima conjugia, deinceps quoque firma & stabilia esse volumus, nequaquam eorum cum uxoribus conjunctionem dissolventes, vel eos mutua, tempore convenienti, consuetudine privantes. Quamobrem si quis dignus inventus fuerit, qui Hypodiatos, vel Diaconos, vel Presbyter ordinetur, ut ad talem gradum assumi nequaquam prohibeatur, cum legitima uxore cohabitare. Sed neque ordinationis tempore ab eo possit, ut prostreatur, se à legitima cum uxore consuetudine abstinere. Quem morem usque ad hæc tempora servant Græci, Romanæ Ecclesiæ permittente, & non nisi eo tempore quo sacris altaribus sunt assessorii, prohibentur uxoribus uti. Episcopi tamen Græci cum uxoribus quas ante sacram ordinationem duxerant non cohabitant, ut patet ex canone 12. ejusdem sextæ Synodi; imò nunc Græci ordinariè non eligunt in Episcopum, nisi vel religionem professum, vel qui perpetuam castitatem tervet, & uxorem non habeat, ut audiui à Patribus nostri Ordinis, qui diu in Græcia commorati fuerant, & Ecclesiæ Græcæ ritus & consuetudines apprime noverant.

§. IV.

Solvuntur objectiones Hæreticorum.

Contra tertiam conclusionem, in qua diximus legem celibatus ab Ecclesia statutam pro sacris ministris, rectissimam esse & sanctissimam, plura obijciunt Hæretici Scripturæ testimonia, ut persuadeant talem legem iniquam & per-

& perniciosam esse. Apostolus enim (inquiunt) ait id Hebræos 13. connubium esse honorabile in omnibus, adeoque in Sacerdotibus. Et 1. ad Timoth. 3. jubet Episcopum esse unius uxoris virum. Et cap. 4. ejusdem Epistolæ ait, novissimis temporibus aliquos introducturos doctrinam damoniorum, prohibentem nubere.

66 Sed hæc frivola sunt, Paulus enim primo loco hortatur fideles ut connubium suum reddant honorabile in omnibus, id est, omni ex parte, si-ve ex parte Sacramenti, si-ve ex parte fidei mutuæ datæ & bene servatæ, si-ve ex parte prolis susceptæ & bene educatæ, quæ sunt tria bona Matrimonii. Unde ibidem addit immediate: *Fornicatores enim & adulteros judicabit Deus.* In secundo non requirit quod quis post sui consecrationem in Episcopum, habeat actu uxorem, sed ut ante suam ordinationem non habuerit nisi unam; ut declarat bigamos non esse ordinandos. Non aliud autem fuit ejus intentum, patet ex eo quod cap. 5. ejusdem Epistolæ velit viduam in Diaconissam eligi unius viri uxorem: implicat autem quod vidua actu habeat virum. In tertio loquitur de hæreticis damnantibus nuptias ut per se malas & illicitas simpliciter: cujusmodi fuerunt Manichæus, Marcion, & Tarianus. Nec obest quod Paulus ait: *Novissimis temporibus:* nam totum tempus Ecclesiæ Christianæ dicitur finis sæculorum, & novissima hora 1. ad Corinth. 10. & 1. Joan. 2.

67 Obijciunt secundo: Apostoli habuerunt uxores, easque secum duxerunt; unde dicebat Paulus 1. ad Corinth. 9. *Nunquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut ceteri Apostoli, & fratres Domini & Cephas?* Ergo similiter Clerici uxores habere debent.

68 Huic objectioni respondeo in primis, ex Apostolis de solo Petro constare quod uxorem habuerit. Deinde ipsum & alios, si qui fuerint uxorati, omnino ab uxorum suarum consuetudine abstinuisse, ubi primum Apostoli facti sunt, & Christo adjuncti, ut demonstrat D. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum, ex illis verbis Petri, suo & aliorum nomine, Matth. 19. *Eccen nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Quod enim inter illa omnia quæ dicuntur reliquisse comprehenduntur conjuges, quoad thorum si-ve consuetudinem conjugalem, patet ex responsione Christi interpretantis quid sit relinquere omnia: *Omni qui reliquerit patrem, aut matrem, aut uxorem, & illud verò Pauli: Nunquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi non de uxoribus intelligi debet, sed de piis mulieribus quæ Apostolos sequebantur, & eis vel pecuniâ vel ministerio suo, in rebus necessarijs opem ferebant.*

69 Obijciunt tertio: Matrimonium est juris naturalis, ut declarat insita propensio ad liberorum procreationem; & etiam divini, ut patet ex verbis illis Genes. 1. *Crescite & multiplicamini:* Ergo nulli potest ab Ecclesiâ prohiberi.

70 Respondeo primo, Matrimonium esse juris naturalis & divini permissivæ (quæ jure naturali divino omnibus licet, ac absolute liberum est conjugium) at non præceptivæ, respectu cujuslibet particularis; alioquin Christus, B. Virgo, & S. Joannes Baptista, qui ab usu conjugij abstinent, contra jus divinum & naturale peccassent. Unde præceptum illud Dei Genes. 1. *Crescite & multiplicamini,* non obligavit singulos ho-

mines, nisi eo tempore quo paucitas hominum exigebat, ut quilibet generationi vacaret, quam verò terra satis iam hominibus repleret, superest eorum etiam implendum, quod est in statu continentie, quam in statu conjugii præferri potest ab Ecclesiâ. Minus, quia in bellis Ambrosius, & habetur cap. 1. de Nuptiis. Nuptiæ veram replent, virginis præcedunt. Unde Augustinus cap. 10. de bono conjugii, vehementer desiderat, ut omnes vellem committere servare, quia (inquit) multo citius dei civitas impleretur.

Respondeo secundo, Ecclesiâ nulli prohibere simpliciter nuptias, nec ulli invito legem continentie imponere; sed tantum exegerationem conditionem onerosam ab illis qui sacros Ordines volunt suscipere, ut continentiam profiteantur propter dignitatem & reverentiam Ordinis & sacri ministerij; illis autem liberum est suscipere vel non suscipere sacros Ordines, & consequenter nubere, vel continentiam profiteri.

Obijciunt quarto: Sacerdotes & Levites veteris legis uxores ducebant, & ab usu conjugii abstinere, tempore vicis suæ, quando sacri ministerio incumberebant: Ergo similiter Sacerdotes & Levites novi testamenti debent uxores connubia, & ab usu uxorum cessare in solis diebus quibus sacris altaribus debent accedere ut in Ecclesiâ Græca observatur.

Respondeo, negando Consequentiam, ut enim sapienter ait Augustinus lib. de bono conjugii cap. 9. circa finem: *Primum temporibus generantur, maxime propter Dei populum propagandum, quem prophetaretur & nasceretur Princeps & Sacerdos omnium populorum, uti debuerant sancti, non propter se expectando, sed propter aliud necessarium, non nuptiarum.* Nunc vero cum ad intendendum salutem & sinceram societatem undique ex omnibus generum copia spiritalis cognationis exuberet, etiam propter filios solos connubia copulare cupientes, ut amplius continentia bono potius utantur, admonendi sunt. Adit Ambrosij commentarius in cap. 3. Epistolæ ad Timotheum: *Veteribus idcirco concessum est uxores & Sacerdotibus, uxores ad usum habere, quia in eorum temporis otio vacabant a ministerio aut Sacramentis.* Contra vero Sacerdotes & Levites novi testamenti perpetuum debent servare continentiam: cum non prætereant dies, quæ vel a sacrificijs divinis, vel a Baptismatis officio, vel ab aliis sacris ministerijs vacant, ut ait Innocentius 3. præcedenti relatus. Nec obstat consensio Græcorum, iis solum diebus quibus ad sacra altaria debent accedere, ab usu conjugij abstinentiam quia Summi Pontifices, & Ecclesiâ Romanâ, majoris mali vitandi gratia, hoc eis permittunt.

Obijciunt quinto contra ultimam conclusionem: D. Clemens Epist. 2. ad Jacobum fratrem Domini, inter alia monita à B. Petro sibi dicta, hoc recenset, ut ministri altaris ad Dominica rationem eligantur officia, qui ante ordinationem conjuges non noverint. Et Ildorus lib. 2. de officiis cap. 2. tradens regulas Clericorum, inter cetera inquit: *Clerici castitatem corporis perpetuam servent, aut unum matrimonij vinculo foderentur.* Ergo lex celibatus, non viguit in primitiva Ecclesiâ, nec ab ipsa Apostolis constituta est.

Ad locum Epistolæ Clementis recte respondet Sorus lib. 7. de justitia quæst. 6. art. 2. illa verba qui ante ordinationem conjuges non noverint, negativè accipienda esse; ut sit talis, qui non nubet.

ordinationem conjuges suas cognoscant, quamvis antea id potuerint. Alioquin si absolute & affirmativè verba illa tuerentur, sensus esset, non debere nec posse unquam ordinari eos qui ante ordinationem non habuerint & cognoverint uxores: quod esset præceptum absurdum.

Ad Isidorum dico, illum eo loco de omnibus Clericis loqui in communi: unde quod dicit, *Aut unus matrimonij sedere capulentur*, ad Clericos Ordinum Minorum referri debet. Quod autem ait, *castitatem corporis, &c.* ad Clericos Ordinum Majorum, quos perpetuam servare debere continentiam docet lib. 2. cap. 5. 8. & 10.

ARTICULUS IV.

An & quo iure bigamus sit Ordinis incapax?

§. I.

Duplici conclusione difficultas resolvitur.

74 Dico primò, bigamum esse Ordinis incapacem. Ita communiter omnes Theologi & Canonistæ, & constat ex Apostolo 1. Timoth. 3. & ad Titum 1. afferente Episcopum (eodemque est ratio de Sacerdote & Diacono, ac Subdiacono) debere esse unius uxoris virum. Quod etiam habetur can. 17. Apostolorum, cuius verba hæc sunt: *Si quis post baptismum secundum fuerit nuptiis copulatus, aut concubinam habuerit, non potest esse Episcopus, non Presbyter, aut Diaconus, aut prorsus ex numero eorum, qui ministerio sacro deserviunt.*

Ratio est, quia bigamia duplicem habet inconvenientiam cum statu clericali: Prima est, quia Clericus debet ad castitatem verbo & exemplo inducere alios: quomodo autem potest esse hortator viduitatis, qui ipse conjugia frequentaverit? ut ait Ambrosius lib. 1. de officiis cap. ultimo. Quam rationem fufius expendit D. Thomas hic quaest. 66. art. 1. his verbis: *In illis qui accipiunt Sacramentum Ordinis maxima spiritualitas debet apparere; tum quia spiritualia ministrant, scilicet Sacramentorum quia spiritualia docent, & in spiritualibus occupari debent: unde cum concupiscentia maxime spiritualitati repugnet, per quam totus homo caro efficitur, non debet aliquod signum concupiscentie per manifestum in eis apparere, quod quidem apparet in bigamis, qui una uxore contenti esse noluerunt.* Secunda disconvenientia quam bigamia habet cum statu Clericali, consistit in eo quod Clericus per sacros Ordines desponsatur Ecclesie, per quam desponsationem exprimit conjunctionem Divini Verbi cum natura humana, & desponsationem Christi cum Ecclesia, quæ una est: nequit autem hanc bigamus representare, quia bigamia tollit unitatem unius cum una, dividendo eam in plures: defectu ergo huius arcanæ significationis, bigamus est Ordinis incapax, unde bigamia sic definitur ab Innocentio III. cap. *Debitum*, de bigamis: *Bigamia est irregularitas, subiectum impediens, propter Sacramenti defectum, ad Ordines suscipiendos.*

75 Triplex verò à Theologis & Canonistis solet distingui bigamia, vera, interpretativa, & similitudinaria. Vera est, quæ confurgit ex duplici matrimonio legitimo, carnali copula consummato. Interpretativa, quæ contrahitur ex matrimonio cum non virgine; unde talem bigamiam incurrit, qui corruptam duxit, quam virginem putabat; quia cum hæc bigamia sit

Tota. V.

A propter defectum sacramentalis significationis, contrahitur etiam ab ignorante. Non incurritur autem, si vir ipse sit corruptus, dummodo uxorem virginem ducat. Cuius disparitatis hanc affert rationem S. Thomas in 4. dist. 27. quaest. 3. art. 1. ad 3. quaestionem: *Actus suam speciem non defumit ex termino à quo, sed ex termino ad quem: cum igitur consensus materialis viri sit actus tendens non in seipsum, sed in uxorem ut in terminum ad quem, ab ea suam speciem sortitur; proinde si uxor est corrupta, consensus viri ex ea, ut ex termino ad quem speciem corruptionis contrahit; secus si uxor sit virgo, esto vir sit corruptus; quia viri consensus speciem non sumit ab ipso viro consentiente, sed ab uxore terminante. Ex quo infert S. Doctor, quod si mulier esset capax Ordinis, irregularitatem contraheret, si cum viro corrupto iniret matrimonium, non autem si ipsa corrupta cum viro virgine contraheret, nisi per aliud matrimonium fuisset corrupta.*

Hæc ratio & doctrina, licet egregia, displicet 77 Bellarmino lib. 1. de Clericis cap. 24. quia (inquit) ex ea sequeretur, non fore bigamum qui secundam uxorem virginem duceret, cum in hoc matrimonio nullum esset ex parte termini ad quem vitium, sed totus defectus esset ex parte viri. Sed hæc instantia frivola est, esto enim quod ille qui secundam uxorem virginem duceret, non esset bigamus bigamiâ interpretativâ, quæ contrahitur cum quis uxorem non virginem ducit; esset tamen bigamus bigamiâ verâ & reali, quæ contrahitur ob solam uxorum & matrimoniorum pluralitatem.

Incurritur etiam bigamia interpretativa, 78 quando maritus cognoscit uxorem suam, post adulterium ab illa commissum; vel quando quis contrahit duo matrimonia invalida; vel unum validum, & aliud invalidum, & utrumque consummat; licet enim ille verè bigamus non sit, ob invaliditatem unius vel utriusque matrimonii, inter bigamos tamen computatur, non propter Sacramenti defectum, sed propter intentionis affectum, ut ait Innocentius III. cap. *super de bigamis*, quantum enim in ipso fuit, duas uxores habuit. Dixi, & utrumque consummat; si enim ille feminas quas invalido matrimonio duxit, carnaliter non cognovit, interpretativam bigamiam non contrahit.

Bigamia demum similitudinaria est, quando 79 quis contraxit matrimonium post solemne votum castitatis, aut post Ordines sacros, & consummavit; in hoc enim est aliqua similitudo bigamiæ, fundata in duobus matrimoniis; altero spirituali cum Deo, altero carnali, licet invalido, cum femina contracto, post votum solemne castitatis, aut Ordinis sacri susceptionem. Unde ista bigamia non contrahitur nisi ex delicto; imò vera nunquam contrahitur ex delicto, cum semper contrahi debeat ex duplici matrimonio legitime inito.

Dico secundò, bigamum non esse incapacem 80 Ordinis iure divino, sed tantum iure humano, ab Ecclesia inducto. Ita communiter Theologi & Canonistæ, contra glossam in cap. 2. de *Bigamis*, verbo *dispensare*, & Petrum Soto Lect. 18. de matrimonio, paragrapho *Ex quibus*, & paragrapho *Restat jam*, affirmantes bigamum iure divino esse Ordinis incapacem.

Probat primò conclusio: Summus Pontifex 81 non potest in iure divino dispensare: At sapè

si

dispen-

dispensavit cum bigamis, ut promoverentur ad Ordines; nam ut asserit glossa can. *Lector*, dist. 34. Martinus I. cum bigamo; ut Subdiaconus fieret, dispensavit; & Lucius Papa alium bigamum, Archiepiscopum Panormitanum creavit: Ergo bigamus non est incapax Ordinis jure divino, sed tantum Ecclesiastico.

82. Probatur secundò: Si ex aliquo Scripturæ testimonio posset deduci bigamos jure divino esse Ordinis incapaces, maxime ex illo Apostoli 1. ad Timoth. 3. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum &c.* in quo præcipue opposita sententia se fundat: At hic locus solum probat, illud fuisse præceptum Apostoli; quæ autem autoritate Apostolica constituta sunt, non divini, sed humani solum juris vim obtinent; ut patet ex Canonibus Apostolorum, qui de jure solum humano & Ecclesiastico obligant; unde Summus Pontifex in illis dispensare potest, ut constat ex can. *finalis*, dist. 82. ubi dicitur quod licet Presbyter fornicarius, secundum canones Apostolorum debeat deponi, tamen juxta auctoritatem B. Pape Sylvestri, si in vitio non perduraverit, poterit cum eo dispensari, debita injuncta penitentia: Ergo bigami non sunt incapaces Ordinis jure divino, sed tantum humano, ab Ecclesia inducto.

§. II.

Solvuntur objectiones.

83. Contra primam conclusionem nullum est argumentum alicujus ponderis, sed contra secundam obicit primò Petrus à Soto: Cælestinus III. cap. 3. de bigamis, & Martinus I. can. *Si quis viduam*, dist. 5. dicunt cum bigamis non esse dispensandum, ob præceptum Apostoli 1. ad Timoth. 3. dicentis Episcopum debere esse unius uxoris virum: Ergo censent tale præceptum juris divini obligationem inducere, cum in jure humano possint dispensare Summi Pontifices.
84. Secundò obicit: Sacris initiatus, divino jure repræsentare debet conjunctionem Christi cum Ecclesia: At bigamus illam repræsentare nequit, cum carnem suam in plures dividerit: Ergo divino jure est incapax Ordinis.
85. Tertiò obicit: Per Baptismum tolluntur omnes irregularitates & impedimenta ad Ordines suscipiendos, quæ sunt juris humani: Sed per Baptismum non tollitur irregularitas bigamiae in statu infidelitatis contractæ, ut dicitur can. *Acutus* dist. 26. Ergo bigamia jure divino impedit & reddit incapacem ad Ordines suscipiendos.
86. Verum hæc argumenta non adeò urgent, ut propter illa à communi sententia author ille recedere debuerit. Ad primum enim respondetur, prædictos Pontifices locis citatis solum significare voluisse, irregularitatem bigamiae fundari in præcepto Apostoli, subindeque ob reverentiam illi debitam, non esse in ea passim & sine urgenti causa dispensandum; non negare tamen quod Summi Pontifices in ea dispensare possint, ut patet ex facto ipsius Martini I. qui, ut supra retulimus, cum bigamo, ut Subdiaconus fieret, dispensavit.
87. Ad secundum nego Majorem, licet enim Christus matrimonium inter fideles evexerit ad significandam mysticam conjunctionem Christi cum Ecclesia, ut cum unica sponsa, ut constat ex illo ad Ephes. 5. *Sacramentum hoc ma-*

Agnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia non tamen ad mysticam illam significationem Sacramentum Ordinis elevavit, unde significatio illa non est essentialis, sed merè accidentalis: ideoque licet Ecclesia dispensare non possit, ut maritus habeat plures uxores, vel matrimonium dissolvatur, bene tamen bigamus Sacramentum Ordinis suscipiat; quoniam in divisionem suæ carnis in plures non in aptum ad significandum & repræsentandum conjunctionem Christi cum Ecclesia, quæ unica est, ille cum defectus significationis non incidit: illam jure divino, sed tantum humano, ab Ecclesia inducto, incapacem Sacramenti Ordinis.

B. Ad tertium dico, quod licet per Baptismum tollantur omnes irregularitates quæ proveniunt ex delicto (imò illæ propriæ non tolluntur, quia non contrahuntur ab infidelibus, sed baptizato, qui Ecclesie legio non subijcitur) irregularitates tamen provenientes ex vitio corporis, vel ex defectu significationis, quæ sunt bigamia, non tolluntur per Baptismum. Quamvis olim acris fuerit de hoc inter Hieronymum & Augustinum controversia, assumante illo Epist. 83. ad Oceanum, negante isto in libro de bono conjugali, cui consentit Ambrosius lib. 1. de officiis cap. ultimo, & D. Thomas hic quest. 64. art. 4. ubi sic ait: *Baptismus solvit culpam, & non irregularitatem, per Baptismum tolli non potest, ut Augustinus dicit in libro de bono conjugali.*

DISPUTATIO IV.

De Episcopatu.

DE Episcopatu specialem disputationem instituimus, quia circa illum variae occurrunt difficultates & controversiæ, articulis sequentibus discutiente & resolvende.

ARTICULUS PRIMUS.

An Episcopus jure divino sit creatus & potestate superetur?

NEGAVIT olim Presbyter quidam nomine Arianus, apud Augustinum hæret. 73. & Epiphanium hæret. 75. ubi hæc illius verba relata: *Quid est Episcopus ad Presbyterum? Nihil aliud, nisi ab illo. Unus est enim Ordo, & unus benedictio, & una dignitas. Imponit manus Episcopus, etiam Presbyter, dispensationem cultus divini facit Episcopus Presbyter similiter. Seder Episcopus in throno, sed etiam Presbyter. Item (teste Waldensium tomo 1. de Sacram. lib. 2. cap. 80.) docuit Wicleffus, dicent omnes Sacerdotes esse Episcopos, ac postea Sacramentum Ordinis ministrare, & plenam jurisdictionem habere in sua Parochia. Uterque autem ad hoc asserendum inductus fuit martirio, partim odio & indignatione, partim etiam avidia concepta ex repulsa quam in ambiguo Episcopatu passi erant. Acrius enim contendens de Episcopatu cum Eustathio, fuerat illi postpositus. Wicleffus autem ab Episcopatu Vigornienfi, quem ambibat, fuerat repulsum.*

Eundem errorem amplexus est Calvinus lib. 4. instit. cap. 4. num. 2. ubi similiter negat Episcopatum esse gradum Presbyteratu superiorem à Christo institutum, his verbis: Quibus ergo docendi munus injunctum erat, eos omnes nominabant Presbyteros. Illi ex suo numero in singulis civitatibus unum elegebant, cui specialiter dabant titulum Episcopi, ne ex aequalitate, ut fieri solet, dissidia nascerentur. Neque tamen sic honore & dignitate superior erat Episcopus, ut dominium in Collegas haberet; sed quas partes habet Consul in Senatu, ut referat de negotiis, sententias roget; consulendo, monendo, hortando, alius praeceat; autoritate suam totam actionem regat, & quod decretum communi consensu fuerit, exequatur; id munus sustinebat Episcopus in Presbyterorum aetate. Atque id ipsum pro temporum necessitate, fuisse humano consensu inductum, fatentur ipsi Veteres. Hæc Calvinus: consequenter num. 3. docens, idem semper fuisse munus Episcopi & Presbyteri, nempe Verbi & Sacramentorum dispensationi incumbere. Ut hic error refellatur, & veritas Catholica stabilitur, sit

§. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

Dico igitur, Episcopos jure divino dignitate & potestate esse Presbyteris superiores.

Hæc veritas definitur in Concilio Constantiensi, in bulla Martini V. ubi omnes errores Joannis Wiclef damnantur. Et in Tridentino sess. 23. cap. 4. ubi sic dicitur: Sancta Synodus declarat, præter ceteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, adhuc Hierarchicum Ordinem præcipue pertinere, & positos, sicut idem Apostolus ait, à Spiritu sancto, regere Ecclesiam Dei, eosque Presbyteris superiores esse, ac Sacramentum Confirmationis conferre, ministros Ecclesie ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent. Et can. 7. sic definitur: Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi & Ordinandi, vel eam quam habent, illis esse cum Presbyteris communem, &c. anathema sit.

Eandem superioritatem Episcopi ad Presbyterum, quantum ad dignitatem, & potestatem, passim agnoscunt SS. Patres: Dionysius enim cap. 5. Ecclesiasticæ Hierarchiæ sic ait: Pontificum Ordo primus, qui purgat, illuminat, & perficit: Sub illo autem Ordo Sacerdotum purgat, & illuminat, non vero perficit; Ministrorum vero tantum purgat. Quibus verbis majorem in Episcopis potestatem, & ad plura pertinentem, agnoscit, quam in Sacerdotibus, & aliis Ecclesiæ Ministris, quos etiam illis inferiores esse affirmat. Ignatius Martyr in Epistola ad Tarcentenses: Presbyteri (inquit) Episcopo subditi estote, Diaconi Presbyteris, populus Presbyteris, & Diaconis. Et in Epistola ad Philadelphios: Boni sunt Sacerdotes: sermonis Ministri; melior autem est Pontifex, cui tradita sunt sancta sanctorum, & cui soli sunt commissa secreta Dei. Clemens Romanus in canonibus Apostolorum can. 40. Presbyter & Diaconi præter Episcopum nihil agere pertinent: nam Domini populus illi commissus est, & pro animabus eorum hic redditurus est rationem. Demum Tertullianus lib. de Baptismo cap. 17. Ius habet, inquit, dandi Baptismum Summus Sacerdos, qui est Episcopus, de

Tom. V.

hinc Presbyteri, & Diaconi; non tamen sine Episcopi autoritate.

Eandem veritatem probat S. Thomas hic quæst. 40. art. 4. multipliciter. In primis enim in argumento *sed contra*, sic discuit: Divina mysteria debent esse magis ordinata, quam humana: Sed humanorum officiorum ordo exigit, ut in quolibet officio præponatur unus, qui sit princeps illius officii, sicut præponitur militibus Dux, & inferioribus artificibus Architectus, qui princeps operis dicitur: Ergo similiter Ecclesiasticæ Hierarchiæ ordo exposcit, ut Sacerdotibus præponatur aliquis, qui sit Sacerdotum Princeps, & hic est Episcopus. Unde Dionysius loco citato de Ecclesiastica Hierarchia, in ea ait primum esse Pontificem, à quo omnis sacra potestas ad inferiores derivatur.

Deinde in corpore articuli sic arguit: Omnis potestas quæ non potest exire in actum, nisi præsuppositis quibusdam ordinationibus, dependet ab illa potestate quæ illas ordinationes facit: Atqui Sacerdos non potest absolvere & ligare nisi præsupposita Prælati jurisdictione, quæ sibi subdantur illi quos absolvit: Ergo potestas Sacerdotalis ab Episcopali dependet, & illi inferior est.

Postea in resp. ad 1. eandem veritatem demonstrat ex eo quod novum Sacerdotium ita antiquo respondere debet, ut quod Aaron & filii ejus, & Levitæ fuerunt in veteri lege, hoc in Ecclesia sint Episcopi, Presbyteri, aut Diaconi, seu reliqui Ecclesiæ Ministri: ita ut Episcopi respondeant Aaron; Presbyteri filiis Aaronis, qui minores erant Sacerdotes, patri subiecti; Diaconi, & alii Ministri, Levitis, id est, aliis qui de Tribu Levitica oriundi erant, quamvis non essent filii Aaronis: At in lege veteri longe major erat potestas & jurisdictio Aaronis, quam reliquorum Sacerdotum inferiorum; ille enim poterat semel in anno ingredi sancta sanctorum, quod aliis minoribus Sacerdotibus non licebat: Ergo similiter in lege nova, Episcopus dignitate, autoritate, & potestate, cæteris præcellit Presbyteris; eique soli ut Ministro ordinario competit conferre Sacramentum Confirmationis & Ordinis, & alios Presbyteros ordinare ratione cuius potestatis Episcopi à SS. Patribus dicuntur Patrum progenitores, qui progenierant Presbyteros, qui patris officium erga fideles exercent, eos filios Dei per gratiam gignendo.

Demum S. Doctor in resp. ad 3. sic discuit: Sicut omnium rerum naturalium perfectiones præexistunt exemplariter in Deo, ita Christus fuit exemplar omnium officiorum Ecclesiasticorum; unde unusquisque Minister Ecclesiæ, quantum ad aliquid gerit typum Christi; & tamen ille est superior, qui secundum majorem perfectionem Christum representat: Sacerdos autem representat Christum in hoc quod per se ipsum aliquod ministerium implevit, sed Episcopus in hoc quod alios ministros instituit, & Ecclesiam fundavit; unde ad Episcopum pertinet mancipare aliquid divini officii, quasi cultum divinum, ad similitudinem Christi, statuens: & propter hoc etiam Episcopus specialiter sponsus Ecclesiæ dicitur, sicut & Christus.

His addo quæ scribit idem S. Doctor 2. 2. quæst. 184. art. 6. ad 2. quia veritatem Catholicam de superioritate Episcopi supra Presbyteros mirum in modum illustrant: Episcopi (inquit) principaliter habent curam ovium sue Diocesis:

SS 2

sis: Presbyteri autem Curati & Archidiaconi habent aliquas subministraciones sub Episcopis. Unde super illud 1. ad Corinth. 12. Alij opitulationes, alij gubernationes, dicit glossa, opitulationes, id est, qui maioribus ferant opem, ut Titus Apostolo; vel Archidiaconi Episcopis. Gubernationes, scilicet minorum personarum praelationes, ut Presbyteri sunt, qui plebi documento sunt. Et Dionysius dicit cap. 5. Eccles. Hierarchia, quod sicut universalem Hierarchiam videmus in Iesu terminatam: ita unamquamque functionem in proprio divino Hierarcha, id est Episcopo. Et distinct. 16. quæst. 1. cap. cunctis: Omnibus Presbyteris & Diaconibus attendendum est, ut nihil absque proprii Episcopi licentia agant. Ex quo patet quod non se habent ad Episcopum, sicut Balivi, vel Praepositi ad Regem; & propter hoc sicut in mundanis potestatibus solus Rex benedictionem solemnem accipit, alij vero per simplicem commisionem insinuantur: ita etiam in Ecclesia cura Episcopalis cum solemnitate consecrationis committitur: Cura autem Archidiaconatus & Plebanatus cum simplici inunctione: consecrantur tamen in susceptione Ordinis, scilicet antequam curam habeant.

§. II.

Solvuntur objectiones Hæreticorum.

10 Obijciunt primò Hæretici: Juxta Apostolum iidem sunt Episcopi & Presbyteri: Ergo Episcopus dignitate & potestate non est superior Presbyteris. Consequentia patet, Antecedens probatur ex illo Pauli ad Philipp. 1. Paulus & Timotheus servi Iesu Christi, omnibus sanctis qui sunt Philippis, cum Episcopis & Diaconibus. Quo loco Presbyteri dicuntur Episcopi, non enim in una urbe multi fuissent Episcopi: si Episcopi nomen summum aliquem Sacerdotem significaret. Item 1. ad Timoth. 4. dicitur: Noli negligere gratiam Dei quæ est in te, quæ data est tibi, per impositionem manuum Presbyterij, ubi Episcopatum ad quem assumptus fuit Timotheus, Apostolus vocat Presbyterium. Et Act. 20. idem Paulus vocavit, ad se majores natu Ecclesiæ, id est Presbyteros, & tamen dum eos alloquitur, Episcopos appellat, dicens: Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.

11 Respondeo negando Antecedens, & ad illius probationem dico, Apostolorum tempore nomina illa Episcopus & Presbyter, communia fuisse omnibus Sacerdotibus tam majoribus, quos nunc Episcopos dicimus, quam minoribus, quos Presbyteros appellamus: licet res ipsa & potestates ac officia distincta essent; unde non mirum quod Apostolus locis citatis, Presbyteros, Episcopos, & Episcopatum ad quem fuit assumptus Timotheus, Presbyterium appellaverit; quamquam juxta multos Patres, Presbyterium ibi sumatur pro cœtu seniorum seu Episcoporum, qui novo Episcopo manus imponunt. Hæc solutio & interpretatio desumitur ex Chrysostomo homil. 1. in Epist. ad Philipenses, ubi exponens illa verba cum Episcopis & Diaconibus hæc habet: Quid hoc sibi vult, itane unius civitatis plures erant Episcopi? Nequaquam, sed hoc titulo designat Presbyteros, tunc enim temporis adhuc vocabulum erat commune.

12 Obijciunt secundò difficile locum Hieronymi, quo significare videtur, Episcopos non esse jure divino Sacerdotibus superiores, sed tantum ex constitutione & consuetudine Eccle-

A siæ: nam in cap. 1. Epistolæ ad Titum, citata verba, Et constituit per civitates Presbyteros, licet idem est Presbyter, qui Episcopus; & antiquam illam instituti studium in religione fuerit, & dicitur apud Paulum, Ego sum Paulus, Ego Apollo, Ego vero Christus, in omni Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernatorem. Postquam vero unusquisque eos quos baptizavit, suos esse putabat, non Christi, in toto orbe decessit, ut unus de Presbyteris electus superponeretur, tam ad quem omnis Ecclesiæ curaperteret, & ipsorum nomina tollerentur. Et inferioris subjectionis adduximus, ut ostenderemus apud veteres, eorum se Presbyteros & Episcopos. Sicut ergo restat, ut, se ex Ecclesiæ consuetudine, ei qui per episcopatum, esse subiectos: ita Episcopi noverint, se magis consuetudine, quam dispositionis Dominice veritatis, Presbyteris esse majores, & in commune debere Ecclesiam regere.

Huic difficillimæ objectioni non aliter respondet Michaël Medina lib. 1. de sacrorum hominum continentia cap. 5. quam succumbendo difficultati, & concedendo reverentiam Hieronymi cum Aërianis sensisse, Episcopos non esse jure divino, sed ex consuetudine tantum & constitutione Ecclesiæ, Presbyteris superiores: quantum (inquit) ob hujus S. Doctoris reverentiam Ecclesiæ hunc errorem quem in Aërianis damnavit, in eo toleraverit, aut dissimulaverit.

C Verum hæc responsio temeritate non caret, quia non solum tanto Patri & Doctori, sed ipsi etiam Ecclesiæ injuriosa est, cui acceptionis personarum notam iniurit: cum enim (ut ait Bellarminus) Hieronymus post Aërium vixerit, ut quæso, Ecclesiæ unam atque eandem sententiam in Aërio damnavit, & in Hieronymo toleravit: Nonne Aërio potius ignoscendum fuit, qui definitionem Ecclesiæ peccasse videbatur, quam Hieronymo, qui damnatam jam hæresim sequutus est?

Respondent alij, initio nascens Ecclesiæ, omnes Presbyteros fuisse Episcopos, subindeque eorum non esse, quod Hieronymus & alij SS. Patres dixerint, eo tempore Episcopos non fuisse majores Presbyteris.

D Sed hæc solutio non valet, quia Hieronymus loco citato Presbyterorum dignitatem adversus intolentiam Diaconum tuetur conantem, eamque demonstrare nititur, ex eo quod Sacerdotalis dignitas æqualis est Episcopali, cum Episcopi (inquit) magis consuetudine, quam dispositionis Dominicæ veritate, sint majores Presbyteris, & initio nascens Ecclesiæ, communi Presbyterorum consilio, Ecclesiæ gubernarentur: Ergo non eâ solum ratione cesset, primos Presbyteros fuisse pares Episcopos, quod essent etiam ipsi ve Episcopi.

E Tertiò responderet Amicus, Hieronymum in ea quidem fuisse sententia, quod Episcopus jure divino non sit Presbytero superior, sed tantum Ecclesiæ consuetudine & ordinatione; nullo tamen pacto sensisse cum Aërio quia ille negabat, etiam Ecclesiæ constitutione, Ordinem Episcopalem esse Presbyterali superiorem.

Sed hæc quoque solutio, nisi aliquid ei addatur, non satis facit: Aërius enim non ignorabat, nec negabat, secundum Ecclesiæ leges, Episcopum Presbytero esse majorem, sed jure divino pares esse affirmabat. His ergo solutionibus pretermis-

Ad objectionem respondeo, duo in Episcopi-

pali nomine & dignitate distinguenda esse, A nempe potestatem Ordinis & potestatem jurisdictionis, quæ regit & gubernat Ecclesiam sibi commissam; à qua, licet inferiori, nomen Episcopi desumptum fuit; nam *hieronymus* idem est atque inspector & curator rei cuiuspiam, & ut ait Hieronymus ipse in cap. 1. Epistola ad Titum, Episcopus est nomen officii, hoc est curationis & gubernationis. Quando ergo verbis in objectione citatis, dixit Episcopos magis consuetudine & ordinatione Ecclesie, quam dispositionis Dominicæ veritate, Presbyteris esse majores, non loquitur de Episcopatu, quantum ad potestatem Ordinis (in ea enim Episcopos esse jure divino Presbyteris superiores, manifestè agnoscitur in cap. 1. Epistola ad Titum, ubi sic ait: Quid facit Episcopus, excepta ordinatione, quod non faciat etiam Presbyter? id est facere possit) sed de potestate jurisdictionis seu regiminis Ecclesie, quam Episcopi habent supra Presbyteros; hanc enim præminetiam jurisdictionis non competere Episcopis jure divino, sed tantum Ecclesiastico, eximavit Hieronymus; idque ex parte verum est, Episcopi enim potestatem jurisdictionis non accipiunt immediate à Christo (sicut potestatem Ordinis & characteris) sed habet ab ipso Summo Pontifice, cujus est eos Ecclesiis præficere, & Dioceses illis assignare ac dividere, prout ad Ecclesiam bonum expedire judicaverit. Itaque Hieronymi sententia toto cælo distat ab errore Aërii: nam in primis S. Hieronymus aperte docet, Episcopum esse majorem Presbytero, quantum ad Ordinis potestatem, quod negabat Aërius, ut constat ex Epiphania supra relato. Deinde, quantum ad potestatem jurisdictionis, Aërius non modo negabat jure divino in ea majorem esse Episcopum Presbytero, sed etiam contende-
 C debat, non rectè facere Ecclesiam, quod Episcopos Presbyteris anteponat. At S. Hieronymus, etsi jure divino agnoscere non videatur discrimen inter jurisdictionem Episcopi & Presbyteri, tamen agnoscit hoc ipsum discrimen tanquam legitime, imò & necessarium, ad vitandam schismata, ab Apostolis introductum, initio nascentis Ecclesie, eo scilicet tempore quo cœpit dici in Ecclesia: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephe.

ARTICULUS II.

An Episcopus sit Ordo distinctus à Sacerdotio, vel solùm ejus extensio & complementum?

20 O stendimus articulo præcedenti contra Hæreticos, Episcopatum esse gradum quandam & dignitatem in Ecclesiastica Hierarchia Sacerdotio sublimiorem, in quo conveniunt omnes Catholici, sed difficultas est & gravis controversia inter Doctores, an sit etiam Ordo distinctus à Sacerdotio, subindeque distinctus à Sacerdotali imprimat characterem, vel solùm sit extensio Sacerdotii, & excellentissimum quoddam ejus complementum? Canonista enim, præter Majores Ordines, & quatuor Minores, duos adhuc admittunt, nempe Episcopatum, & Palmarum, seu primam tonsuram.

Tom. V.

Ex Theologis verò Durandus, Cajetanus, Petrus a Soto, Bellarminus, Valentinus, Martinus, & alii, asserunt Episcopatum esse Ordinem distinctum à Sacerdotio. Oppositum docent omnes fere antiqui Theologi, Magister sententiarum in 4. dist. 24. Littera L. S. Thomas hic quæst. 40. art. 5. Albertus Magnus, D. Bonaventura, Scotus, Richardus, Paludanus, falsò pro contraria sententia citatus, Dominicus Soto, & plures alii. Unde Azorius lib. 3. instit. parag. 1. relatà censurà Hugonis, quòd nullus nisi cæcus & inordinatus dubitet Episcopatum esse Ordinem distinctum, cum singularem à Sacerdotio ordinationem requirat, subdit hæc verba: Certè miror cur sic contra Theologos linguam laxaverit! Cæcus ergo ipsius judicio erit S. Thomas, cæcus S. Bonaventura, cæcus Scotus, Richardus, Albertus, qui sentiant Episcopatum non esse Ordinem. His omnibus adde ex Patribus Societatis Reginaldum, Henricum, Comitolum, Amicum, & alios asserentes Episcopatum non esse Ordinem à Sacerdotio distinctum. Quam sententiam probabiliter censet Suarez tomo 3. in 3. partem disp. 11. sect. 3. parag. solùm posset; eamque novissime amplexus est Illustrissimus Dominus de Mariis, Avenionensis Archiepiscopus, tomo 2. in 3. p. quæst. 40. supplem. art. 5. cap. 3. conclus. 2. ubi docet quod Ordo Episcopalis non differt à Sacerdotio, per hoc quod dum Sacerdos in Episcopum consecratur, imprimatur in anima illius novus character, sed per hoc quod præexistens extenditur & perficitur; subindeque censet Episcopatum non esse Ordinem distinctum à Sacerdotio, sed ipsius Sacerdotii extensionem & complementum.

S. I.

Hæc sententia ut probabilior eligitur.

D ico igitur, Episcopatum non esse Ordinem distinctum à Sacerdotio, sed ipsius Sacerdotii extensionem, & excellentissimum ejus complementum.

21 Probatur primò autoritate Petri Damiani opusc. 6. cap. 15. hæc scribentis: Ad instar septem donorum Spiritus sancti, septem sunt Ordines Ecclesiæ dignitatis. Quod autem in omnibus gradibus adhuc & alij præferantur, ut sunt Patriarche, Archiepiscopi, vel Episcopi, non tam novus Ordo suscipi, quam in eodem Sacerdotio ipsi videntur excellentius sublimari. Quo nihil clarius & expressius in favorem nostræ conclusionis dici potest.

22 Probatur secundo ex Tridentino sess. 23. cap. & can. 2. ubi non nisi septem recenset Ordines, incipiendo à Sacerdotio, ut à supremo, nullà mentione factà Episcopatus: At si consecratio Episcopalis esset Ordo distinctus à Sacerdotio, eique superior, non debuisset Concilium recensendo Ordines, istum prætermittere, nec incipere à Sacerdotio, ut à supremo, sed ab Episcopatu: Ergo Concilium censet, consecrationem Episcopalem non esse Ordinem distinctum à Sacerdotio, sed duntaxat ejus extensionem & complementum.

23 Nec refert quod cap. 4. & can. 6. definiat esse in Ecclesia Hierarchicum ordinem, divinà ordinatione institutum, ad quem præcipue pertinent Episcopi: Nam hic per ordinem Hierarchicum

§ ff 3

Conci.

Concilium non intelligit Sacramentum Ordinis, sed gradum dignitatis, ut constat ex his verbis capitis 4. citati: *Proinde sacrosancta Synodus declarat, præter ceteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc Hierarchicum ordinem præcipue pertinere.*

24 Non valet etiam, si cum aliquibus Recentioribus dicas, ideo à Concilio inter Ordines non numerari Episcopatum, quia est causa ceterorum Ordinum. Nam et si Episcopatus sit causa Ordinum, adhuc debuisset inter Ordines numerari, si sit Ordo diversus à Sacerdotio, distinctumque imprimat characterem; quia cum Ordines distinguantur inter se per diversas habitudines ad Eucharistiam, non solum debuissent numerari Ordines, qui vel ad illam disponunt, vel immediate efficiunt, sed etiam qui ei idoneos ministros preparant. Unde nulla alia probabilis ratio assignari potest cur Concilium recensendo Ordines, Episcopatum omiserit, & à supremo incepterit, nisi quia existimavit, Episcopatum non esse ordinem distinctum à Sacerdotio, sed ejus extensionem, & complementum.

25 Probatur tertio ratione D. Thomæ: Tota Ordinum distinctio sumitur penes habitudinem quam dicunt ad Eucharistiam, ad quam ut ad finem ordinantur, ut constat in sacerdotio, Diaconatu & Subdiaconatu, & quatuor Minoribus: Sed Episcopatus non aliam dicit habitudinem ad Eucharistiam, præter eam quam importat Sacerdotium; non enim potest eam magis consecrare Episcopus, quam simplex Sacerdos: Ergo Episcopatus non est ordo distinctus à Sacerdotio.

26 Respondent Adversarij, negando Minorem: Episcopatus enim (inquiunt) eici habitudinem aliquam indirectam ad Eucharistiam, quam non dicit Sacerdotium; siquidem præter potestatem consecrandi Eucharistiam, in qua convenit cum Sacerdotio, habet virtutem illam transfundendi in alios, & ad consecrandum & ordinandum ministros Eucharistiae: unde per habitudinem illam indirectam, in ratione specialis Ordinis, à Sacerdotio distincti, constituitur.

27 Verum ex hac solutione & doctrina manifestè sequitur, Episcopatum esse Ordinem inferiorem Sacerdotio, & ipso ignobiliorem; habitudo enim indirecta ad Eucharistiam, seu potestas consecrandi illius ministros, minus perfecta est, habitudine directa ad illam, siue potestate ipsam consecrandi, quæ nihil datur præstantius & divinius in ordine supernaturali: Ergo si per habitudinem indirectam ad Eucharistiam, Episcopatus constituitur in ratione specialis Ordinis, distincti à Sacerdotio, manifestum est ipsum esse Ordinem Sacerdotio inferiorem.

28 Probatur quartò ratione Paludani, quam sub hac forma proponit P. Baronius in libro Apologetico pro Ordine Prædicatorum lib. 2. sect. 1. par. 3. Si Episcopatus esset ordo specie distinctus à Sacerdotio, vel illi esset par & æqualis, vel superior, vel minor: Pares esse repugnat, ex illa lege quæ diversæ rerum essentia minus possint esse æqualis perfectionis, quæ diversi numeri pares, quorum tota ratio in æqualitate constat. Nec superior esse potest character Episcopalis Sacerdotali, cum potestas in corpus Christi naturale, propria Sacerdotio, præter potestatem in corpus mysticum, quam Episcopatus addit. Inferiorem verò esse minime convenit, cum Episcopatus sit quasi apex Sacerdotij, & Episcopus supremum Sacerdotij gradum occu-

pet: Ergo Episcopatus non est Ordo distinctus à Sacerdotio.

Probatur quinto ex inconvenienti quod sequitur ex adversa sententia. Si enim Episcopatus esset Ordo distinctus à Sacerdotio, & distinctum illi adderet characterem, posset valde valide, quamvis illicita, sicut qui ante Diaconatum ordinaretur Sacerdos, verus esset sacerdos, ut colligitur ex capite *Tue littere*, de Clerici per saltum ordinato. Ex quo ulterius sequeretur quod sicut Subdiaconus qui per saltum permissio Ordine Diaconatus, esset ordinatus sacerdos, posset omnia munia Diaconi validè exercere, eo quod superior Ordo virtute contineret reliquos inferiores; ita Diaconus, qui non permissio Sacerdotio, consecraretur Episcopus, ob eandem rationem, validè posset omnia munia Sacerdotalia exercere, subindeque consecrare corpus Christi & à peccatis absolvere, quantum non esset Sacerdos, quod absurdum est.

Nec valet quod dicunt Adversarij, ut vim hujus argumenti infringant, quod licet Episcopatus sit superior Sacerdotio, sicut Sacerdotium aliis Ordinibus diversa tamen ratione; Sacerdotium enim eminenter continet inferiores Ordines, Episcopatus verò non est superior Sacerdotio eo quod eminenter illud continet, sed quia præter potestatem Sacerdotij, quam intrinsecè formaliter, & essentialiter includit, addit etiam potestatem conferendi Ordines, & Sacramentum Confirmationis: ex qua differentia (inquunt) oritur, quod licet si Sacerdotium non permissio Diaconatu conferretur, validè collatum esset, Episcopatus tamen collatus ei qui non esset Sacerdos, foret irritus. Non valet, inquam, hæc responsio; si enim Episcopatus sit Ordo realiter distinctus à Sacerdotio, specie differt ab illo: Sed una species non includit formaliter alteram, licet eam possit continere virtualiter vel eminenter, ut patet inductione: Ergo si Episcopatus sit Ordo realiter distinctus à Sacerdotio, non potest formaliter illud continere, sed virtualiter tantum vel eminenter, sicut Sacerdotium eminenter continet inferiores Ordines, subindeque rati & validi erit Episcopus, collatus non permissio Sacerdotio, sicut & Episcopus Sacerdotium, non permissio Ordine Diaconatus collatum, validum est.

Dices: Licet potestas absolventi à peccatis distinguatur realiter à potestate consecrans corpus Christi, si tamen non præmissa potestas consecrandi conferretur, rata non esset, nec valida: Ergo ex eo quod Episcopatus sit Ordo realiter distinctus à Sacerdotio, non recte inferitur, illum posse valide conferri, non permissio Sacerdotio.

Verum hæc instantia magis confirmat quam infirmat rationem nostram: unde enim potestas absolventi nulla est, nec præmissa potestate consecrandi, quia non est character, sed characteris extensio & complementum intrinsecum: Ergo si è contra potestas Episcopalis sit character distinctus realiter à characteris Sacerdotali, non vero ejus extensio & complementum, consecratio Episcopalis erit rata & valida, etiam non permissio Sacerdotio.

Demum suaderi potest conclusio hoc discipulo si verum est in naturalibus hoc axioma: *Non sunt multiplicitas entia a se invicem distincta a priori verum erit in supernaturalibus, cum gra-*

ria magis abhorreat à superfluo, quam natura, & ne dicamus Deum plures actiones supra naturam producere, quam sint necessariae ad effectum quem intendit: Sed Episcopus potest munia Episcopalia exercere, puta conferre Sacramentum Confirmationis, & Ordinis, per characterem Sacerdotalem, ut habet adjectum modum aliquem physicum & supernaturalem, quo completur, & ad munia illa extenditur, ut patebit ex solutione objectionum; & constat exemplo characteris Sacerdotalis, qui se extendit ad corpus Christi mysticum, & potestatem recipit absolvendi à peccatis, absque novo characteris additione, per hoc solum quod modum aliquem supernaturalem recipiat; alioquin tot essent admittendi characteres, quot sunt actiones supernaturales & hierarchicae, quae à Sacerdote vel Episcopo exercentur; & sic alius daretur character ad consecrandum corpus Christi, alius ad baptizandum, alius ad coniungendum, alius ad conferendum Sacramentum Extremae Unctionis, alius ad absolvendum à peccatis; quod nullus Theologorum dixit: Ergo &c.

§. II.

Solvuntur objectiones.

32 **O**bjicies primo: Consecratio Episcopi est Sacramentum, subindeque sub aliqua ex septem ejus speciebus continetur. Sed non potest ad aliam speciem Sacramenti pertinere, quam Ordinem: Ergo est Ordo distinctus à Sacerdotio. Major in qua est difficultas probatur primo ex SS. Patribus, qui dum loquuntur de consecratione Episcopi, ipsam appellant Sacramentum. Nam S. Leo Epist. 21. ordinationem Pauli & Barnabae, quae fuerunt consecrati Episcopi Act. 13. benedictioni Sacramentum vocat. Et Gregorius lib. 4. in primi Regum cap. 5. unctionem ejus qui in culmine ponitur, Sacramentum esse asserit.

Secundo probatur eadem Major: Si Ordinatio Episcopalis non sit Sacramentum, non possumus ex Scripturis aperte probare, Ordinem esse Sacramentum; loca enim Scripturae, ex quibus id probant Catholici (nimirum 1. ad Timoth. 4. Noli negligere gratiam quae est in te &c. cum impositione manuum Presbyterij, & 2. ad Timoth. 1. Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum) intelliguntur de Ordinatione Episcopali, quia agunt de ordinatione Timothei, qui fuit Episcopus à Paulo ordinatus, ut docent omnes Interpretes.

Tertio probatur ratione: Consecratio Episcopalis causat gratiam, ut constat duplici Apostoli testimonio, jam citato: Ergo est verum Sacramentum.

33 Respondeo negando Majorem, & ad primam ejus probationem dico, SS. Patres citatos vel loqui de ordinatione & unctione, quae non solum Episcopalis, sed etiam Sacerdotalis est; vel si loquantur de consecratione & unctione solum Episcopali, eam vocant Sacramentum, quia est complementum Sacramenti, nempe Sacerdotij.

34 Ad secundam nego sequelam; sufficit enim quod Episcopatus sit complementum intrinsecum Sacramenti Ordinis, ut ex Scripturis in quibus est sermo de ipso, colligamus Ordinem esse verum Sacramentum; quandoquidem impossibile est quod Ordo compleatur in ratione Sacramenti, per Episcopatum, nisi Ordo sit Sacramentum.

Ad tertiam responderet Soto, negando Ante-

cedens, existimat enim per consecrationem Episcopalem non conferri gratiam; quia gratia, inquit, in Sacramento Ordinis, non conferitur ad illa officia exercenda quae spectant ad jurisdictionem & gubernationem corporis mystici, sed ad illa tantum quae pertinent ad potestatem Ordinis Sacramentalis, quae scilicet ordinantur ad consecrationem corporis Christi: Consecratio vero Episcopalis ordinatur solum ad gubernationem corporis mystici, non vero ad consecrationem Corporis Christi.

Verum haec solutio & doctrina repugnat SS. Patribus asserentibus in consecratione Episcopali conferri gratiam: Anacletus enim Epist. 2. cap. 1. de unctione Episcoporum sic loquitur: *Omnis sanctificatio constat in Spiritu sancto, cuius virtus invisibilis sancto Chrismati est permixta. Quibus verbis significat, Episcopos sanctificari per unctionem Chrismaticam, quae consecrantur.* Ambrosius de dignitate Sacerdotali cap. 5. *Si gratiam (inquit) non accepisti, quomodo Episcopus fieri potuisti? Et paulo inferius: Quis dat Episcopalem gratiam; Deus, an homo? Respondes sine dubio Deus, sed tamen per hominem dat Deus.* Theodoretus etiam lib. 4. Ecclesiasticae Historiae cap. 23. de Moyse Anachoreta in Episcopum consecrando, haec ait: *Vbi vidit Lucium sibi manum imponere velle: Absit, inquit, ut tua manus me consecret: nam tua invocatione Spiritus sancti gratia in neminem descendit.* Demum S. Thomas 1. ad Timoth. 4. lect. 4. dicit impositionem manuum quae Timotheus ordinatus est Episcopus, significasse collationem gratiae. Et 2. ad Timoth. 1. lect. 1. loquens etiam de Ordinatione Timothei, ait ipsi fuisse datam gratiam Spiritus sancti in impositione manuum.

Confirmatur Tridentinum sess. 23. can. 4. sic habet: *Si quis dixerit, per sacram ordinationem non spiritum sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere, Accipe spiritum sanctum &c. anathema sit.* Atqui ex usu Ecclesiae, in ordinatione Episcoporum haec eadem verba proferuntur: Ergo in illa confertur gratia. Et certe mirum esset quod in ordinatione Exorcista vel Ostiarii conferretur gratia, & non in consecratione Episcopi: liquidem eligitur Episcopus ad officium multo excellentius: Episcopum enim oportet iudicare, interpretari, consecrare, ordinare, offerre, baptizare, & confirmare, ut habetur in Pontificali. Ut ergo haec debite & recte praestet, opus est ut in consecratione, & congrua potestate, & abundanti gratiae thesauro diletur. Unde

Ad argumentum respondeo, concessio Antecedente, negando Consequentiam, ut enim consecratio Episcopalis causet gratiam, non requiritur necessario quod sit Sacramentum, sed sufficit quod sit excellentissimum quoddam complementum Sacramenti, scilicet Sacerdotij; ut patet in ceremonia illa quae confertur Sacerdoti jam ordinato potestas ad absolvendum à peccatis, per impositionem manuum Episcopi, & verba illa, *Accipe spiritum sanctum &c.* licet enim tunc Sacerdoti nova gratia conferatur, tamen ceremonia illa non est Sacramentum distinctum à consecratione Sacerdotali, quae fit in contactu calicis, in quo character Sacerdotalis imprimitur, sed tantum complementum & extensio Sacerdotij in ordine ad actum, corpus Christi mysticum respicientem, nempe absolutionem à peccatis. Idem cum proportionem de consecratione Episcopali dicendum

cendum est, ut magis constabit ex dicendis in solutione objectionis sequentis.

38 Obijciatur ergo secundo: Consecratio Episcopalis confert characterem distinctum ab eo, qui imprimitur in collatione Sacerdotij: Ergo est Ordo distinctus à Sacerdotio. Consequentia patet, ubi enim sunt diversi characteres, non possunt non esse distincti Ordines, cum Ordo sit signaculum quo character seu spiritualis potestas confertur. Antecedens verò probatur: In consecratione Episcopali nova datur potestas confirmandi, & Ordines conferendi: Ergo per illam imprimitur novus character, cum nomine characteris nihil aliud intelligatur, quam spiritualis potestas exercendi actus aliquos supernaturales & hierarchicos, quales sunt confirmare, & Ordines conferre.

39 Respondeo negando Antecedens consecratio enim Episcopalis non confert novum characterem, sed duntaxat characterem Sacerdotalem complet & extendit, causando in eo novum modum realem & physicum quem antea non habebat, ratione cuius extenditur ad ministrandum & conficiendum duo alia Sacramenta, quæ non potest simplex Sacerdos, saltem ex vi præcisæ suæ ordinationis, ministrare vel conficere: Est autem modus ille indelebilis, sicut ipse character. Quod potest explicari exemplo supra adducto potestatis physicæ ad absolvendum a peccatis, quam recipit Sacerdos in sua ordinatione; hæc enim non habet rationem characteris, sed modi realis intrinseci & physici, characterem Sacerdotalem, in contactu calicis antea impressum, extendentis ad corpus Christi mysticum, sive ad ipsius membra instrumentaliter physice mundanda à peccatis. Quare Episcopatus nihil aliud est præter Sacerdotium perfectum, & sicut puer & vir perfectus in æo differunt, quod puer in ratione hominis sit imperfectus, nec vim habeat gignendi sibi simile; vir autem in ratione hominis sit perfectus, & alios possit generare; ita etiam simplex Sacerdos suo modo est imperfectus, nec potest alios Sacerdotes spiritualiter gignere vel consecrare; Episcopus autem id potest.

ARTICULUS III.

Utrum necessario requirantur tres Episcopi ad unius consecrationem, adeo ut summus Pontifex in eo dispensare non possit?

40 Dico primò, omnino certum est, saltem ex constitutione Ecclesiæ, requiri ad minus tres Episcopos, ut unus consecratur. Patet tum ex praxi Ecclesiæ, tum ex concilio Carthaginensi 4. cap. 2. ubi sic dicitur: Episcopus cum ordinatur, duo Episcopi ponant & teneant Evangeliorum codicem super caput & cervicem eius, & uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi qui adsunt, manibus suis caput ejus tangant. Hunc sensum Chrysostomus, Oecumenius, Theodoretus, Theophilactus, & alij SS. Patres explicant verba illa Apostoli 1. ad Timoth. 4. cum impositione manuum Presbyterij, id est ceteris Seniorum, seu Episcoporum, qui manus supra consecrandum imponunt.

41 Confirmatur ex facto Apostolorum, nam ut refert Anacletus Epist. 2. Jacobus primus Hiero-

solymorum Episcopus, ordinatus fuit à Petro, altero Jacobo, & Joanne, ejus ordinationi assistentibus & cooperantibus, quo facto factum (inquit Pontifex) dederunt successores suis non minus quam à tribus Episcopis, reliqui qui emendati assensum præbentibus, nullatenus Episcopi ordinantur. Unde Damascius Papa Epist. 4. ut probet illud Concilio Episcopos, qui ab uno tantum à Episcopo consecrati erant, non posse ullum munus Episcopali lide obire, subdit: Quod enim Episcopus, non minus quam à tribus sunt ordinati Episcopi, cum pater. Item Joannes III. in Epistola ad Episcopos Germaniæ, & Galliæ: Omnia queque (inquit) magna Concilia assensum, cum non esse Episcopum, minus quam à tribus Episcopis, auctoritate etiam Metropolitanis fuerit factus. Et Concilium Regense cap. 10. ait, Canones definire irritam esse ordinationem Episcoporum, quam pauciores quam tres Episcopi faciunt.

Dices Canone 17. Apostolum dicitur, Episcopum debere à duobus vel tribus ordinari: Ergo tres non sunt necessarij.

Respondeo, hoc ita intelligendum esse, quid Episcopus debeat ordinari à duobus vel tribus, præter ipsum Metropolitanum, qui præsumptimè necessario debere adesse; atque ita Episcopum à tribus ad minus ordinari debere.

Dico secundo, Probabiliter est, non posse ex dispensatione Summi Pontificis, unum Episcopum alium consecrare. Est contra Vazquez, Cunningham, Amicum, & alios Recentiores.

Probatur: Non potest Summus Pontifex dispensare in his quæ sunt de jure divino, sive ex Christi institutione: Sed ex Christi institutione habemus, quod consecratio Episcopii fieri debeat non minus quam à tribus Episcopis: Ergo in hoc Summus Pontifex dispensare nequit. Major constat. Minor verò probatur primò ex Epistola Aniceti Papæ ad Episcopos Galliæ cap. 1. ubi potius quam retulit verba Anacleti dicentis in Epistola 2. decretali Hierosolymorum primum Episcopum, beatum Jacobum, qui iustus dicebatur, à Petro, Jacobo, & Joanne Apostolis, fuisse ordinatum, ista subiungit: Si autem non minus quam à tribus Apostolis, tantus fuit ordinatus Episcopus, patet profecto, eos formam, INSTITUTE DOMINI, tradidisse, non minus quam à tribus Episcopis, Episcopum ordinari debere. Ubi expressè dicitur, Apostolos hanc formam ordinandi Episcopum, non minus quam per tres alios, nobis tradidisse ex institutione Domini sive Christi.

Probatur secundo eadem Minor ratione destruyente præcipuum fundamentum doctrinæ Adversariorum: Si tres Episcopi ex statuto solum Ecclesiæ, non verò etiam ex Christi institutione, requirerentur ad consecrationem alterius, maxime quia, ut ipsi contendunt, præter unum, alij duo, solum ad testimonium ordinantur, requiruntur tanquam assistentes, ne videatur tyrannica utriusque Episcopi auctoritas, aliqua contra fidem Ecclesiæ teneri: Sed falsum est quod ex tribus Episcopis concurrentibus ad consecrationem quarti, duo ut testes solum, & non etiam ut consecrantes concurrant; alij enim non debent simul cum ordinante ea facere in quibus ex Patrum sententia, consecratio Episcopii essentialiter consistit, nimirum manus imponere capiti ordinandi; & dicere Accipe spiritum sanctum & c. sicut faciunt, sed tantum sua præsentia huic ordinationi adesse: Ergo &c.

Contra istam conclusionem obijciatur primò 1.

liber Constitutionum D. Clementis cap. 27. A Ecclesie regimen commissum est, concedentes. Obijcitur secundo: Gregorius Magnus concessit Augustino, Anglorum Episcopo, ut ipse solus Episcopum consecraret, donec essent plures qui simul possent alios ordinare; ita enim legitur inter ejus decreta, in responsionibus ad interrogationes Augustini cap. 8. quæ sunt in Tomo secundo Conciliorum: Ergo ex dispensatione Summi Pontificis, unus Episcopus alium consecrare potest.

46 Verum hoc non urget, quia constat libros constitutionum Clementis Romani, variis in locis fuisse corruptos: Locum vero citatum fuisse ex corruptis, colligitur primo ex eo, quod idem Clemens ante verba relata referat hæc verba Simonis Apostoli: Ego Simon Cananeus constituo à quor Episcopus debeat ordinari Episcopus, scilicet à duobus, aut tribus. Si enim hæc constitutio Apostolica vera esset, falsum esset, ex constitutione Ecclesie & Apostolorum, requiri ad minus tres Episcopos, ut unus consecratur; duo enim sufficerent, etiam de lege ordinaria; quod non admittunt Adversarii, & falsum esse constat ex dictis in prima conclusione. Secundo, ex eo quod verba illa Clementis, Afferatur decretum commissionis plurium Episcoporum, supponant, non tantum Summum Pontificem, sed alios etiam inferiores Episcopos, posse facultatem concedere quod ab uno solum Episcopo alter consecratur; quod ipsi Adversarii non admittunt, facultatem hanc soli summo Pontifici, cui totius

48 Respondeo quod licet hoc factum D. Gregorii ita habeatur tomo 2. Conciliorum Surii, locum tamen esse mendosum, aperte colligitur, tum ex contextu totius capituli, in quo multa sunt sine sensu; tum ex responsione ipsius D. Gregorii ad eundem Augustinum Anglorum Episcopum, quæ habetur in fine libri duodecim Epistolarum Registri, sic enim legitur: Et quidem etiam in Anglorum Ecclesia, in qua adhuc tu solus Episcopus inveniris, ordinare Episcopum aliter nisi cum Episcopis potes; nam quando de Gallia Episcopi veniunt, illi in ordinatione Episcopi tibi assistant. Quæ verba sententiam nostram probant & valde confirmant. Si enim posset Summus Pontifex dispensare in jure requirente tres Episcopos ad consecrationem Episcopi, omnino credibile est, quod D. Gregorius in tantâ necessitate dispensasset.

